




EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS,

~~96 71.~~

52  
Ga. 259.





61/6  
CORNELII  
NEPOTIS

De Viris illustri-  
bus Liber ;

Additamento ex manusc. auctus.

*Antehac Æmilio Probo ; post Suetonio  
Tranquillo ; diutissime C. Plinio  
Cecilio Secundo ; nuper Sexto Aurelio  
Victori ; nunc liberali causa  
Auctori assertus,*

à

RAPHAELE EGLINO  
ICONIO, TIGVRINO.

C I O I O C.

TIGVRI

C 2 R

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 15 horizontal lines across the page.




Amplissimo prudenti-  
tissimoq; Rætiae III, Viro  
Democratico,

IOANNI GVLERO  
TAVASIANO,

*Et gentis Et virtutis splendore  
nobilissimo, clarissimoq;*

RAPHAEL EGLINVS  
ICONIVS,  
S. D.

 LARI Viri, IOANNES  
GVLERE, tanquam sy-  
dera cælo exsplendescen-  
tia, tempora illustrant: su-  
pinos excitant: historiae caput cen-  
sentur. Ego verò a Sacra, in rem  
Romanam intuendū arbitror, an-  
tiquam illam, moribus, quibus ste-  
tit, cecidit. Qui Laconice, Atticè,  
Latinè, eam complexus, NEPOS

A 2

## P R A E F A T I O

est. Ab ultima origine ad occasum,  
ut nihil supra! Quemnam igitur  
Critici perhibent? Aut quem ha-  
bent potius: perhibere nequeunt?  
Suetoniumne, Pliniumue secun-  
dum: an Suadā Nepotem, secundū  
nemini? Sextū Aurelium Victorē:  
an verò Corneliū invictū? Aemiliū  
Probū deniq;: an nostrū hunc pro-  
batissimum? Næ Tranquillos, Se-  
cundos, Sextos, (Probum excipio)

*Omneis unius estimâris assis,*  
præ hoc incomparabili. Tu iudex  
judicij inclyti, IOANNES GV-  
LERE, qui inter Palæmones Ari-  
starchus, Quinctilius; inter cives  
Prætor, Arbitr; inter Patres Cons.  
Dictator. Te appello, cui mens ani-  
mi, candor judicij, Antiquitatis pe-  
ritia, Latinitatis usus, cum ampli-  
tudine, virtutūq; splendore. Equi-  
dem ita sentio: Latinæ puritatis co-  
lorem



## P R A E F A T I O

lorem verum; Antiquitatis recon-  
ditioris notitiam; fidem inscriptio-  
nis veteris, teste Hermalao Barba-  
ro (nunquid barbaro?) præter Ne- <sup>Plin.</sup>  
potē, agnoscere neminē. Abnuis? <sup>lib. 15.</sup>  
Atqui vel temporis ultra citraque <sup>c. 29.</sup>  
Pompejum & Octavium haud de-  
ducta series, præterea auctorem  
non admittit. Aemiliūmne Pro-  
bum probabunt? At Probi proba  
in ore, manu; qui domesticæ, pere-  
grinæq; historiæ seriem felici stylo  
condidit. Probatiōra modico vo-  
luminum numero omnis ævi gesta  
comprehendentis, haud, opinor,  
Probi, verūm doctiorum calculo,  
probatissimi. Rogas? CORNELII;

*Namq; est ausus is unus Italorum*

*Omne ævum tribus explicare chartis,*

*Doctis Iuppiter & laboriosis!*

Quæ de Cornelio ad Corneliū do- <sup>ca-</sup>  
ctus Poëta. Dicam libere, dicā in- <sup>null.</sup>

## P R A E F A T I O

signe, recens. Has illas ipsas C O R -  
N E L I I doctas iuxta ac laboriosas  
esse chartas, tam attētæ curæ, quàm  
præstantis facundiæ, ut Valerium  
*Val.* ex altero Valerio explicem: hoc il-  
*Max.* lud ipsum Romanum ævum quod  
*lib. 1.* unus iste instar omnium omne au-  
sus, potuit, (an felicius? an bre-  
vius?) inter Latinos evolvere, illu-  
strare, mecū unà Trāquilli, Secun-  
di, Sexti, Probi, sentiunt, fatentur,  
clamitant, cōtestantur. Age igitur,  
age mactē Nepos, per nos assertus

*Plus uno maneat perennis ævo;*

per quem viri tot illustres: Tibi,  
IOANNES GVLERE, Christianū  
decus, munificè & æquè tuendi, in-  
tuēdi. Simul Criticorū filios clarè  
plaudere, autplorare jube: nos te  
avere, vivere, valere. Ex inclyta  
Helvetiorum luce, Tiguro. Cal.  
Quinct. C I O I O X C I X.

i

CORNELI NEPO-  
TIS DE VIRIS ILLV-  
STRIBVS LIBER

De proca rege Albanorum.

**D**ROCA Rex Albanorum Amu-  
lium & Numitorem filios habuit,  
quibus regnum annuis vicibus ha-  
bendum reliquit, & ut alternis  
imperarēt. Sed Amulius fratri im-  
perium non dedit; & ut eum sobole priuaret,  
Rheam Siluiam filiam eius Vesta sacerdotem  
prafecit, ut virginitate perpetua teneretur,  
qua à Marte compressa, Romulum, & Remum  
edidit. Amulius ipsam in vincula compegit.  
Paruulos in Tyberim abiicit, quos aqua in sic-  
co reliquit. Ad vagitum lupa accurrit, eosq̃  
uberibus suis aluit. Mox Faustulus pastor col-  
lectos Acca Larentia cōiungi educandos dedit.  
Qui postea Amulio interfecto, Numitori auo  
regnum restituerunt; Ipsi pastoribus coaduna-  
tis, ciuitatem condiderūt, quam Romulus au-  
gurio victor, quòd ipse xij. Remus. vi. uultures  
viderat, Romam vocauit. Vt eam prius legi-  
bus, quàm mœnibus muniret, edixit, nequis

2 CORNELII NEPOTIS

vallum transiliret; quod Remus irridēs, transiluit, & à Fabio Celere centurione raſtro fertur occiſus.

De Romulo Romanorum Rege  
primo.

**R**omulus Aſylum conuenis patefecit, & magno exercitu facto, cum videret conjugia deeſſe, per legatos à finitimis ciuitatibus petijt; quibus negatis, ludos Conſualia ſimulauit, ad quos cum utriuſq; ſexus multitudo veniſſet, dato ſuis ſigno, virgines raptæ ſunt: ex quibus cum una pulcherrima cum magna omnium admiratione duceretur, Thalaffio eam duci reſponſum. Quæ nuptia quia feliciter ceſſerunt, inſtitutum eſt, ut omnibus nuptijs Thalaffij nomen innocaretur. Cum fœminas finitimorum Romani vi rapuiſſent, primi Ceninenſes contra eos bellum ſumpſerunt. Aduerſum quos Romulus proceſſit, & exercitum eorum, ac ducem Acronem ſingulari prælio deuicit. Spolia opima Ioui Pheretrio in capitolio conſecrauit. Sabini ob raptas, bellum aduerſus Romanos ſumpſerunt, & cum Romæ appropinquarent, Tarpeiam virginem naçti, quæ aqua cauſa ſacrorum gratia haurienda descende-  
rat,

rat, ut T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in capitolium perduxisset. Illa petijt, quod illi in sinistris manibus gerebant, videlicet annulos, & armillas. Quibus dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit, ubi Titus Tatius scutis eam obrui precepit. Nam & ea in lauis habuerant. Romulus aduersus Tatium, qui montem Tarpeium tenebat, processit, ac in eo loco, ubi nunc Ro. forum est, pugnam conseruit. Ibi Hostius Hostilius fortissimè dimicans cecidit, cuius interitu consternati Romani fugere ceperunt. Tunc Romulus Ioui Statori ad eum vouit, & exercitui seu fortè, seu diuinitus restitit. Tunc raptæ in medium processerunt, & hinc patres, inde coniuges deprecata, pacem conciliarunt. Romulus fœdus percussit, & Sabinos in urbem recepit, populum à Curibus oppido Sabinorum Quirites vocauit. Centum Senatores ab ætate Patres appellauit. Treis equitum centurias instituit, quas suo nomine Ramnenses, a T. Tatio Tatienses, a Lucumone Luceres appellauit. Plebem in triginta curias distribuit, easque raptarum nomine appellauit. Cum apud Caprea paludem exercitum lustraret, nunquam comparuit. Vnde inter patres, & populum seditione orta, Iulius Proculus vir

**A** CORNELII NEPOTIS

nobilis in concionem processit, & iureiurando firmavit, Romulum à se in colle Quirinali visum augustiore forma, cū ad Deos abiret, eundemq; precipere, ut seditionibus abstinerent, virtutem colerēt, futuram, ut omnium gentiū domini existerent. Huius autoritati creditum est, ades in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro Deo cultus, & Quirinus est appellatus.

De Numa Pompilio Romanorum  
Rege secundo.

**P**ost consecrationem Romuli, cum diu in terregno seditiones orirētur, Numa Pompilius Pomponij filius, Caribus oppido Sabinarum accitus, cum adducentibus civibus Romam venisset, ut populum ferū religione molliret, sacra plurima instituit. adem Vesta fecit. Virgines vestales legit. Flamines treis, Dialem, Martialem, Quirinalem. Salios Martis Sacerdotes, quorū primus praesul vocatur, xij. instituit. Pontificem Max. creavit, Portas Iano gemino adificavit. Annum in xij. mensibus distribuit, additis Ianuario & Februario. Leges quoq; plurimas. & utiles. & omnia iussu Egeriae nymphæ, uxoris suæ se facere simulans. Ob hanc tantam iustitiam bellum ei nemo intulit.

Morbo

DE VIRIS ILLUSTRIBVS. §

Morbo solutus in Ianiculo sepultus est, ubi post multos annos arcula cū libris a Terentio quodam exarata; qui libri, quia leueis quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate patrum cremati sunt.

De Tullo Hostilio Romanorum Rege tertio.

**T**ullus Hostilius, quia bonam operam aduersum Sabinos nauauerat, rex creatus, bellum Albanis indixit, quod trigeminorum certamine finiuit: Albam propter perfidiam ducis Metij Suffecij diruit. Albanos Romam transire iussit. Curiam Hostiliam constituit. Montem Caelium urbi addidit. Et dum Numam Pompiliū sacrificijs imitatur, Ioui Elicio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagrauit. Cum inter Romanos, & Albanos bellum fuisset exortum, ducibus Hostilio & Suffecio, placuit rem paucorum certamine finire. Erant apud Romanos trigemini Horatij, tres apud Albanos Curiatij, quibus fœdere icto concurrentibus, statim duo Romanorum ceciderunt, Tres Albanorum vulnerati. Vnus Horatius, quamuis integer, quia tribus impar erat, fugam simulauit, & singu-

## 6 CORNELII NEPOTIS

los per intervalla, ut vulnerum erat dolor, interfecit. Et cum spolijs onustus rediret, sororem obviam habuit, quae viso paludamento sponsi sui, qui unus ex Curiatijs erat, flere coepit. frater eam occidit, qui apud duumviros condemnatus, ad populum provocavit, ubi patris lacrymis condonatus, ab eo expiandi gratia sub Tigillum missus, quod nunc quoque via suppositum Sororium appellatur. Metius Suffecius dux Albanorum, cum se invidiosum apud civeis videret, quod bellum solo trigeminorum certamine finisset, ut rem corrigeret, Veientes, & Fidenates adversum Romanos incitavit. Ipse à Tullo in auxilium accersitus, aciem in collem subduxit, ut fortunam belli sequeretur. Quare Tullus intellecta, magna voce ait, illud suo iussu Metium facere. Quare hostes territi, victique sunt. Postera die Metius cum ad gratulandum Tullo venisset, iussu ipsius quadrigis reliquatus, ac in diuersa distractus est.

### De Anco Martio Romanorum Rege quarto.

**A**Ncus Martius Nume Pompilij ex filia nepos equitate, & religione avo similis, Latinos bello domuit. Aventinum, & Ianiculum



DE VIRIS ILLUSTRIBVS. 9

lum montes urbi addidit. Noua mœnia oppido circundedit. Syluas ad usum nauium publicauit. Salinarum vectigal instituit. Carcerem primus edificauit. Hostiam coloniam maritimis com meatibus opportunam in hostio Tyberis deduxit. Ius fœciale, quo legati ad res repetendas uterentur, ab Equicolis transtulit, quod primus fertur Hesus excogitasse. His rebus intrapaucos dies cōfectis, immatura morte preareptus, non potuit prestare, qualem promiserat, Regem.

De Lucio Tarquino Prisco Romanorum Rege quinto.

**L**ucius Tarquinius Priscus Lucumo Græci Demarathi filius, qui Cypseli Corinthij tyrannidem fugiēs, in Hetruriam commigravit. Ipse Lucumo dictus, urbe Tarquinij profugis, Romam petijt. Aduenienti aquila pileum sustulit, & cum altè subuolasset reposuit. Tanquam coniuX, auguriorum perita, regnū ei portendi intellexit. Tarquinius pecunia, & industria dignitatem, atq; etiam Anci regis familiaritatem consecutus, à quo tutor liberis relictus, regnum intercapiit, & ita administravit, quasi iure adeptus fuisset. Centum Patres in

## 8 CORNELII NEPOTIS

curiam legit, qui minorum gentium sunt appellati. Equitum centurias numero duplicavit, nomina duplicare non potuit, Accij Nauij auguris auctoritate deterritus, qui fidem artis suae nouacula, & cote firmavit. Latinos bello domuit. Circum maximum edificavit. Ludos magnos instituit. De Sabinis, & Priscis Latinis triumphavit. Murum lapideum urbi circumdedit. Filium xij. annorum, quod in praelio hostem percussisset, pratexta, & bulla donavit. Unde haec ingenuorum puerorum insignia esse ceperunt. Post ab Anci liberis, immixtis percussoribus, per dolum regno exutus est, & interfectus.

### De Seruio Tullio Rege sexto.

**S**eruius Tullius P. Corniculani, & Ocre-  
stia captiua filius, cum in domo Tarquinij  
Prisci educaretur, flamma species caput eius  
amplexa est. Hoc viso, Tanaquil summam ei  
dignitatem portendi intellexit. Coniugi sua-  
sit, ut ita eum, ut liberos suos educaret. Qui cum  
adoleuisset, gener a Tarquinio assumptus est.  
Et cum rex occisus esset, Tanaquil ex altiore  
loco ad populum despiciens ait, Priscum Tar-  
quinium graui quidem, sed non letali uulne-  
re acce-

DE VIRIS ILLUSTRIBUS. 9

ve accepto, petere, ut interim, dum conualescit, Servio Tullio audientes essent. Servius Tullius quasi precario regnare cepit, sed recte imperiū administravit. Etruscos saepe domuit; collem Quirinalem, & Viminalem & Exquilias urbi addidit, Aggerem, fossasq; fecit. Populum in quatuor tribus distribuit, ac post plebi distribuit annonam; mensuras, pondera, classeis, centuriasq; constituit. Latinorum populis persuasit, uti exemplo eorum, qui Diana Ephesia ad eam fecissent, & ipsi ad eam Diana in Aventino edificarent. Quo effecto, bos cuidam Latino mira magnitudine nata est; responsum somnio datum, eum populum summam imperij habiturum, cuius cuius bouem ill. immolasset. Latinus bouem in Aventinum egit, & causam sacerdoti Romano exposuit. Ille Callidus, dixit prius eum viuo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tyberim descendit, sacerdos bouem immolavit. Ita imperium civibus, sibi gloriam facto, consilioq; quaesivit. Servius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habens, cum Tarquinij Superbi filios pari animo videret, ut omnium mentibus morū diversitate leniret, ferocem mitem feroci in matrimonium dedit. Sed mites sen

fortè, seu fraude perierunt. Feroces morum similitudo coniunxit. Statim Tarquinius superbus à Tullia incitatus aduocato Senatu, regnū paternum repetere cœpit. Quare audita, Seruius, dum ad curiam properat, iussu Tarquinij gradibus deiectus, & domum refugiens, interfectus est. Tullia statim in forum properauit, & prima coniugem regem salutauit, à quo iussa è turba recedere, cum domum rediret, viso patris corpore, mulionem euitantem super ipsum corpus carpentum agere praecepit. Vnde vicus ille sceleratus dictus. Postea Tullia cum coniuge in exilium acta.

De Tarquinio Superbo Romanorum  
Rege septimo.

**T**arquinius Superbus cognomen moribus meruit. Occiso Seruio Tullio, regnum sceleratè occupauit: tamen bello strenuus, Latinos, Sabinosq; domuit: Suessam Pometiam Hetruscis eripuit. Gabios per Sextum filium simulato transfugio in potestatem redegit. Et ferias Latinas primus instituit. Lacus in Circo, & cloacam maximam fecit, ubi totius populi viribus usus est, unde illa fossa Quiritum sunt dicta. Cum Capitolium inciperet, caput hominis inuenit.

## DE VIRIS ILLUSTRIBVS. II

venit. Vnde cognitum est eam urbem caput gentium futuram. Et cum in obsidione Ardeæ filius eius Lucretia stuprum intulisset, cum eo in exilium actus, ad Persenam Hetruria regem confugit, cuius opere regnum retinere tentavit. Pulsus, Cumas cōcessit, ubi per summam ignominiam reliquum vitæ tempus exegit.

### De Tarquinio Collatino.

**T**arquinius Collatinus sorore Tarquinij Superbi genitus, in cōtubernio iuvenum regionum Ardeæ erat. Vbi cum fortè in liberiore conuiuio coniugem suam unusquisq; laudaret, placuit experiri. Itaq; equis Romam petunt: Regias nurus in conuiuio, & luxu deprehendunt: exinde Collatiam petunt: Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt. Ita ea pudicissima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam redijt, & iure propinquitatis in domum Collatini venit, & in cubiculum Lucretia irrupit, pudicitiam expugnauit. Illa postero die aduocatis patre & cōiuge, rem exposuit, & se cultro, quæ veste texerat, occidit. Illi in exitium regū coniurarunt, eorumq; exilio necē Lucretia vindicauerunt.

B

## De Iunio Bruto primo Romanorum consule.

**I**unius Brutus sorore Tarquinij Superbi genitus, cum eandem fortunam timeret, inquam frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam fuerat ab arunculo occisus, stultitiam finxit: unde Brutus dictus. Iuuenibus regijs Delphos eunibus ridiculi gratia comes adscitus, baculo sambuceo aurum infusum deo donum tulit. Vbi responsum est, eum Romae summam potestatem habiturum, qui primus matrem oscularetur: ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretia stuprum, cum Tricipitino, & Collatino in exitium regum coniuravit. Quibus in exilium actis, primus consul creatus, filios suos, fratrisq; quod cum Aquilijs, & Vitellijs ad recipiendum in urbem Tarquinios coniurauerant, virgis casos securi percussit. Deinde in praelio, quod aduersus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte filio Tarquinij congressus, se ambo mutuis vulneribus occiderunt. Cuius corpus in foro positum, à collega laudatum, matrona anno luxerunt.

## De Horatio Coclite.

**P**orsena rex Hetruscorum, cū Tarquinios in urbē restituere tentaret, & primo impetu

Petu Ianiculum cepisset, Horatius Cocles illo cognomine, quod in alio praelio oculum amiserat pro ponte Sublucio stetit, & aciem hostium sustinuit, donec pons à tergo interrumperetur, cum quo in Tyberim decidit, & armatus ad suos tranavit. Ob hoc ei tantum agri publicè datum est, quantum uno die circum araripotuisset; statua quoq; ei in Vulcanali posita.

De Mutio, qui manum foculo immisit.

CUM Porsena Rex urbem obsideret, Mutius Scevola Cordus, vir Romana constantia, Senatum adiit, & veniam transfugiendi petijt, necem regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsena venit; ibiq; purpuratum pro rege deceptus occidit. Apprehensus, & ad regem pertractus dexteram aris imposuit, hoc supplicij ab ea exigens, quod in eade peccasset. Vnde cum misericordia regis abstraheretur, quasi beneficium referens ait, trecentos aduersus eum similes coniurasse. Quare ille territus, bellum acceptis obsidibus deposuit. Mutio prata trans Tyberim data, ab eo Mutia appellata. Statua quoq; ei honoris gratia constituta est.

## De Coclia Virgine.

**P**orsena Cocliam virginem nobilem inter obsides accepit, quæ deceptis custodibus, noctu castris eius egressa, equum, quem fors dederat, arripuit, & Tyberim traiecit. A Porsena per legatos repetita, reddita. Cuius ille virtutem admiratus, cum quibus optasset in patriam redire permisit. Illa virgines, puerosq; elegit, quorum et aetatem iniuriæ obnoxiam sciebat. Huic statua equestris in foro posita.

## De morte Fabiæ gentis.

**R**omani cum aduersum Veientes bella-  
rent, eos sibi hosteis familia Fabiorum pri-  
vato nomine deposcit, & profecti trecenti sex-  
dace Fabio consule fuerunt. Cum saepe victo-  
res extitissent, apud Cremeram fluvium ca-  
stra posuerunt. Veientes ad dolos conversi, pe-  
cora ex aduerso in conspectu illorum posuerunt,  
ad quæ progressi Fabii, in insidias delapsi, ad  
unum occisione perierunt. Dies quo id factum,  
inter nefastos relatus. Porta, qua profecti fue-  
rant, Scelerata est appellata. Unus ex ea gente  
propter impuberem aetatem domi relictus, ges-  
sus propagavit ad Q. Fabium maximum, qui  
Hannib.



DE VIRIS ILLUSTRIBVS. 15

*Hannibalem mora fregit, Cunctator ab obtre-  
tatoribus dictus.*

De Lucio Valerio Publicola.

**L**ucius Valerius Volesi filius, primo de Ve-  
liensibus, iterum de Sabinis, tertio de utrius-  
que gentibus triumphauit. Hic, quia in locum  
Tricipitini collega consulem subrogauerat, &  
domum in Velia tutissimo loco habebat, in su-  
spicionem regni affectari venit. Quo cognito,  
apud populum questus, quod de se tale aliquid  
timuissent, immisit qui domum suam dirues-  
rent. Secures etiam fascibus dempsit, eosque in  
populi concione submitit. Legem de prouoca-  
tione à magistratibus ad populum tulit, hinc  
Publicola dictus. Cum diem obiisset, publicè se-  
pultus, & annuo matronarum luctu orna-  
tus est.

De Aulo Posthumio.

**T**arquinius eiectus ad Manilium Tuscu-  
lanum generum suum confugit, qui cum  
Latio concitato, Romanos grauius urgeret,  
Aulus Posthumius dictator dictus, apud Re-  
gillum lacum cum hostibus confluit. Vbi cum  
victoria nutaret, Magister equitum equis fre-  
nos detrahi iussit, ut irreuocabili impetu fer-

rentur, ubi aciem Latinorum fuderunt, & castra ceperunt. Sed inter eos duo iuvenes candidis equis insigni virtute apparuerunt, quos dictator quesitos, ut dignis muneribus honoraret, non reperit. Castorem & Pollucem ratus, communi titulo dedicauit.

De Lucio Quintio Cincinnato.

**L**ucius Quintius Cincinnatus filium Caelsonem petulantissimum abdicauit, qui & a censoribus notatus, ad Volscos, & Sabinos confugit, qui duce Caelio Graccho bellum aduersum Romanos gerebat, & Q. Minutiū consulem in Algido monte obsidebant. Quintius dictator dictus, ad quem missi legati nudum eum arantem trans Tyberim offenderunt, qui insignibus sumptis, consulem obsidione liberauit. Quare à Minutio, & eius exercitu obsidionali corona donatus est. Vicit hosteis: ducem eorum in deditiōnem accepit, & in triumphū die ante currum egit. Sexto decimo die dictaturā, quam acceperat, deposuit, & ad agriculturam reuersus, ierū post viginti annos Dictator dictus, Spurium Melium regnū affectantem à Seruilio Hala magistro equitum occidit iussit. Domum eius solo aequavit. Vnde locus ille Aequimelium dictus.

De

De Menenio Agrippa, Romanæ pa-  
cis insigni arbitro.

**M**enenius Agrippa cognomēto Lanatus,  
dux electus adversum Sabinos, de ijs  
triumphavit; & cum populus à patribus seces-  
sisset, quòd tributū, & militiam toleraret, nec  
revocari posset, Agrippa apud eū, olim inquit,  
humani artus, cum ventrem ociosum cerne-  
rent, ab eo discordarunt, & suum illi ministe-  
rium negauerunt. Cum eo pacto & ipsi defice-  
rent, intellexerunt ventrem acceptos cibos per  
omnia membra digerere, & cū eo in gratiam  
redierunt. Sic Senatus, & populus quasi unum  
corpus discordia pereunt, concordia valēt. Hac  
fabula populus regressus est. Creavit tamen  
Tribunos ple. qui libertatem suam aduersus  
nobilitatis superbiam defenderent. Menenius  
autem tanta paupertate decessit, ut eum po-  
pulus collatis quadrantibus sepeliret: locum se-  
pulchro Senatus publicè daret.

## De Cneo Martio Coriolano.

**C**neus Martius captis Coriolis vrbe Vol-  
scorū, Coriolanus dictus, ob egregia mi-  
litie facinora à Posthumia optionem munus-

rum accipiens, equum tantum, & hospitē sumpsit, virtutis, & pietatis exemplum. Hic consub graui annona aduectum è Sicilia frumentum magno pretio dandum populo curauit, ut hac iniuria plebs agros, nō seditioes coleret. Ergo à tribuno plebis Decio die dicta, ad Volscos cōcessit, eosq; duce Actio Tullio aduersus Romanos concitauit, & ad quartum ab urbe lapidem castra posuit. Cumq; nullis ciuium legationibus flecteretur, à Veturia matre, & Volunnia uxore matronarum numero comitata motus, omisso bello, ut proditor occisus est. Ibi templum Fortunæ muliebri constitutum est.

De Licinio Stolone primo Cos,  
ex plebe.

**F**Abius Ambustus ex duabus filijs alteram Licinio Stoloni, alteram Aulo Sulpitio patritio coniugem dedit. Quarū plebeia cum sororem saluaret, cuius vir tribunus militū consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos indecenter expauit: à sorore irrisa, marito quæstā, qui adiuuante socero, ut primū tribunatum plebis aggressus est, legem tulit, ut alter Consul ex plebe crearetur. Lex resistente Appio Claudio, lata tamen. Et primus Licinius

nius

nus Stolo consul factus. Idem lege sancit, ne cui plebeio plus centum iugera agri habere liceret. Et ipse cum iugera centum quinquaginta haberet, & altera emancipati filij nomine possideret, in iudicium vocatus, & primus omnium sua lege punitus est.

De Virginio Centurione, filiae  
occifore.

**P**opulus Romanus cum seditiosos magistratus ferre non posset, decem viros legibus scribendis creauit, qui eas ex libris Solonis translatas duodecim tabulis exposuerunt. Sed cum pacto dominationis magistratū sibi prorogarent, unus ex ipsis Appius Claudius Virginiam Virginij centurionis filiam in Algido militantis adauit, quam cum corrumpere non posset, clientē subornauit, qui eam in seruitutem deposceret, facile victurus, cum ipse esset accusator, & iudex. Pater re cognita, cum ipso iudicij die superuenisset, & filiam iam addictam videret, ultimo eius alloquio impetrato, cum eam in secretum abduxisset, occidit, & corpus eius humero gerens ad exercitum profugit, & milites ad vindicandum facinus accendit, qui creatis decem tribunis, Auentis

num occuparunt, Decem viros abdicare se magistratu praeceperunt, eosque omnes aut morte, aut exilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus est.

De Aesculapio Romam advecto.

**R**omani ob pestilentiam, responso monente, ad Aesculapium Epidaurum accersendum decem legatos, principe Q. Volumnio, miserunt. Qui cum eo venissent, et simulacrum ingens mirarentur, anguis e sedibus eius elapsus venerabilis, non horribilis, per mediam urbem cum admiratione omnium ad navem Romanorum perrexit, et se in Volumnij tabernaculo conspiravit. Legati Deum vehentes Antium provecti sunt, ubi per mollitiem maris anguis proximum Aesculapij fanum petijt, et post paucos dies ad navem redijt, et cum adverso Tyberi subveheretur, in proximam sylvam desiluit. Vbi templum ei constitutum, et pestilentia mira celeritate sedata est.

De Furio Camillo Urbis Rom.  
Liberatore.

**F**urius Camillus cum Phaliscos obsideret, ac ludiliterarum magister principum filios ad eum adduxisset, vinctum eum iisdem pueris ip

ris in urbem redigendum, & verberandū tra-  
 didit. Statim Phalisci se ei ob tantā iustitiā de-  
 diderūt. Veios decenni obsidione domuit, deq̄  
 ijs triumphavit. Postmodum crimini datum,  
 quod ab his equis triumphasset, & prædam ini-  
 què divisisset, die dicta ab Apuleio tribuno Ple-  
 bis damnatus, Ardeam concessit. Mox cū Gallæ  
 Senones, relictis ob sterilitatem agris suis, Clu-  
 sium Hetruria obsiderent, missi sunt Romani  
 tres legati, qui Gallos monerent, ut ab oppugna-  
 tione desisterent. Ex his unus contra ius gen-  
 tium in aciem processit, et ducem Senonum in-  
 terfecit. Quo commoti Galli petitis in deditio-  
 nem legatis, nec impetratis, Romam petierunt,  
 & exercitum Romanū apud Alliam fluvium  
 occiderunt die xvi. Kal. Augusti, qui dies in-  
 ter nefastos relatus Alliensis dictus. Victores  
 Galli urbem intraverunt, ubi nobilissimos se-  
 num in curulibus, & honorum insignibus pri-  
 mo ut deos venerati, deinde ut homines despi-  
 cati interfecere. Reliqua inuentus cum Man-  
 lio in Capitolium fugit, ubi obsessa, Camilli vir-  
 tute liberata est, qui absens Dictator dictus,  
 collectis reliquijs, Gallos improvisos interne-  
 cione occidit. Populum Ro. migrare Veios vo-  
 lentem retinuit. Sic & oppidum ciuibus, & ci-  
 veis oppido reddidit.

## De Manlio Capitolino.

**M**Anlius ob defensum capitolium, Capitolinus dictus, sexdecim annorum, voluntarium militem se obtulit. Triginta septem militaribus donis à suis ducibus ornatus, viginti treis cicatrices in pectore habuit. Capta urbe auctor in Capitolium fugiendi. Quadam nocte clangore anseris excitatus, Gallos ascendenteis deiecit. Patronus à civibus appellatus, & farre donatus est. Donum etiam in Capitolio publice accepit. Qua superbia elatus, cum à senatu suppressisse Gallicos thesauros argueretur, & addictos propria manu liberaret, regni affectati suspicione, in carcerem coniectus, populi consensu liberatus est. Rursus cum in eadem culpa, & gravius perseveraret, et reus factus, & ob conspectum Capitolij ampliatus, alio deinde loco damnatus, & de saxo Tarpeio precipitatus. Domus diruta, bona publicata, Gentilitas eius Manlij cognomine vetuit, ne quis postea Capitolinus vocaretur.

## De Cornelio cosso.

**F**idenates fidei Romanorum hostes, ut sine spe venie fortius dimicarent, legatos ad se missos



missos interfecerunt; ad quos Quintius Cincin-  
natus Dictator missus, magistrum equitum  
habuit Cornelium Cossam, qui Lartem Tolum-  
nium ducem sua manu interfecit. De eo spolia  
opima Ioui Pheretrio secundus ab Romulo con-  
secrauit.

De Publio Decio patre.

**D**ecius Mus bello Samnitico sub Valerio  
Maximo, & Cornelio Cossam consulibus  
tribunus militum, exercitu in angustijs Gauri  
montis insidijs hostium clauso, accepto, quod  
postulauerat, presidio, in superiorem locum eua-  
sit; hosteis terruit. Ipse intempesta nocte per  
medias custodias somno oppressas incolumis  
euasit. Ob hoc ab exercitu ciuica corona de  
quercu, quae dabatur ei, qui ciueis in bello ser-  
uasset, obsidionali, quae dabatur ei, qui obsidio-  
ne ciues liberasset, donatus est. Consul bello La-  
tino, collega Manlio torquato, positus apud Ve-  
serim fluum castris, cum utriusque consuli som-  
nio obuenuisset, eos victores futuros, quorum dux  
in praelio cecidisset, cum collato cum collega som-  
nio conuenisset, ut cuius cornu in acie labora-  
ret, dijs se manibus voueret, inclinante sua  
parte, se & Hosteis per Valerium pontificem

*dijs manibus devouit. Impetu in hostes facto, victoriam suis reliquit.*

De Publio Decio filio.

**P***ublius Decius Decij filius, primo consul de Samnitibus triumphauit. Spolia de ijs Cereri consecrauit. Iterum & tertio consul multa domi, militiaeq. gessit. Quarto consul cum Fabio Maximo, cum Galli, Samnites, Umbri, Tusci contra Romanos conspirassent. Ibi exercitu in aciem ducto & cornu inclinante exemplum patris imitatus, aduocato M. Livio pontifice hasta insistens, & solennia verba respondens, se & hosteis dijs manibus devouit. Impetu in hosteis facto, victoriam suis reliquit. Corpus à collega laudatum, magnificè sepultum est.*

De Tito Manlio torquato.

**T***itus Manlius Torquatus ob ingenij, & lingua tarditatem à patre rus relegatus, cum audisset ei diem dictam à Pomponio Trib. Pl. noctu urbem petijt. Secretum colloquium à Tribuno impetravit, & gladio stricto, dimittente eum accusationem terrore multo compulsi. Sulpitio dictatore tribunus militũ Gallum*  
*pro*

provocatorem occidit. Torquem ei detractum cervici suae induit. Consul bello Latino filium suum, quod contra imperium pugnasset, securi percussit. Latinos apud Vesperim fluvium Decij collega devotione superavit. Consulatum recusavit, quod diceret, neque se populi vitia, neque illum severitatem suam posse sufferre.

De Marco Valerio Cor-  
vino.

**R**eliquias Senonum Camillus persequeretur. Adversum ingentem Gallum provocatorem solus Valerius Trib. militum omnibus terris processit. Corvus ab ortu solis galea eius insedit, & inter pugnandum ora, oculosque Galli verberavit. Hoste devicto Valerius Corvinus dictus. Hic cum ingens multitudo are alieno oppressa Capuam occupare tentasset, & ducem sibi Quintium necessitate compulsum fecisset, sublato are alieno, seditionem compressit.

De Pontio Thelesino.

**C**Aius Veturius, & Spurius posthumus consules bellum adversum Samnites gerentes, a Pontio Thelesino duce hostium per insidias seducti sunt. Nam ille simulatos transfugas

misit, qui Romanis dicerent, Luceriam à Samnitibus obsideri in Apulia, quò duo itinera dicebant, aliud longius, & tutius, aliud breuius, & periculosius. Festinantibus itaq; cum insidias statuisset, qui locus Furcula Caudina vocatur, Pontius accitum patrē Herennium rogavit, quid fieri placeret? ille ait, aut omnes occidendos, ut vires frangerentur: aut omnes dimittendos, ut beneficio obligarentur. Vtroq; improbato consilio, omnes sub iugum misit exscedere, quod à Romanis improbatum est. Posthumus Samnitibus deditus, nec receptus est.

## De L. Papyrio cursore.

**L**ucius Papyrius à velocitate Cursor, cum consulem se aduersis omnibus aduersum Samnites progressum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus, edixit Fabio Rutiliano, quē exercitui praeponerat, ne manum cum hoste consereret. Sed ille opportunitate ductus pugnavit. Reuersus eum securi ferire voluit: ille in urbem confugit, nec supplicē tribuni tuebantur. Deinde pater lachrymis, populus precibus veniam impetrarunt. Papyrius de Samnitibus triumphauit. Idem Praeneste cū pretorem grauissimè increpauisset, expedi in-

quit

quit, licetor secures, & cum eum metu mortis attonitum vidisset, incommodam ambulanti- bus radicem excidi iussit.

De Quinto Fabio Rutiliano.

**Q**uintus Fabius Rutilianus, primus ex ea familia ob virtutem Maximus, magister equitū a Papyrio Cursore securi penē percussus, primum de Apulis & Lucerinis: Iterum de Samnitibus: tertio de Gallis, Vmbrijs, Mar- sis, atq; Tuscis triumphavit. Censor Libertinos tribu amovit. Iterum Censor fieri noluit, dicēs non esse ex usu reip. eosdem Censores saepius fie- ri. Hic primus instituit, uti equites Romanē idibus Quinilibus ab eade Honoris equis insi- dentes in capitolium transirent. Mortuo huic tantum aris populi liberalitate congestum, ut inde filius viscerationem, & epulas publicē daret.

De Marco Curio Dentato.

**M**arcus Curius Dentatus primo de Sam- nitibus triumphavit, quos usq; ad ma- re superum perpacavit. Regressus in concione, ait, tantum agri cepi, ut solitudo futura fue- rit, nisi tantum hominum cepissem: tantum porro hominū cepi, ut fame perituri fuerint,

C

nisi tantum agri cepissem. Iterum de Sabinis triumphavit. Tertio de Lucanis ovans urbem introivit. Pyrrhum regem Epeiotarum Italia expulit: quaterna dena agri iugera virum populo divisit. Sibi deinde totidem constituit, dicens neminem esse debere, cui non tantum sufficeret. Legatis Samnitum aurum offerentibus, cum ipse in foco rapa torreret, Malo inquit hac in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare. Cum interversa pecunie argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulit, iuravitque se nihil amplius de praeda hostili in domum suam convertisse. Aqua deinde Anienem manibus hostium in urbem induxit. Tribunus plebis Patres auctores fieri coegit comitum, quibus plebeius magistratus creabatur. Ob hac merita domus ei apud Tiphata, & agri iugera quingenta publice data.

De Appio Claudio Cæco.

**A**ppius Claudius Cæcus in Censura libertinos quoque in senatum legit: epulandi, decantandi que ius tibi cinibus in publico ademit. Dua familia ad Herculis sacra sunt destinata Potitiorum & Pinariorum. Potitios Herculis sacerdotes pretio corrupit, ut sacra Hercules

culea

lea servos publicos edocerēt, unde cecatus est. Gens Potitiorum funditus perijt. Ne consularis cum plebeis communicaretur, acerrimè resistit. Ne Fabius solus ad bellū mitteretur, contradixit. Sabinos, Samnites Hetruscos bello domuit. Viam usq; Brundusium stravit lapidibus, unde illa Appia dicta: aquam Anienem in urbem induxit. Censuram solus omni quinquēnio obtinuit. Cū de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cineam pretio quareretur, senex cecus lectica in senatum latus, turpissimas condiciones magnifica oratione discussit.

## De Pyrrho Rege Epeiotarum.

**P**YRRHUS Rex Epeiotarum materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, cū imperium orbis agens Romanos potentes videret, Apollinē de bello consuluit. Ille ambiguè respondit: *Aio te Aeacida Romanos vincere posse.* Hoc dicto in voluntatem tracto, auxilio Tarentinis venit, bellum Romanis intulit, Levinū consulem apud Heracleam Elephantorū novitate turbavit. Cumq; Romanos adversis vulneribus occisos videret, Ego inquit talibus viris brevi orbem terrarū subigere potuissē. Amicis gratulantibus, quid mihi cū talibus

Victoria inquit, ubi exercitus robur amittam?  
 ad vigesimum ab urbe lapidē castra posuit: ca-  
 ptivos Fabritio gratis reddidit. Viso Levinij  
 exercitu, eandem sibi ait adversum Romanos,  
 quam Herculi adversus hydram fuisse fortu-  
 nam. A Curio, & Fabricio superatus, Taren-  
 tum refugit: in Siciliam traiecit. Mox in Ita-  
 liam Locros regressus, pecuniā Proserpine ave-  
 here tentavit: sed ea naufragio elata est. Tum  
 in Graciam regressus, dum Argos oppugnaret,  
 ictu tegulae prostratus est. Corpus ad Antigo-  
 num Regem Macedoniae delatum, magnificè  
 sepultum.

## De Volsinijs.

**V**olsinij Hetruriae nobile oppidum luxu-  
 ria penè perierāt. Nam cum temerè ser-  
 vos manumitterent, dum in curiam legerent,  
 consensu servorum oppressi, cum multa indi-  
 gna paterentur, clam Roma auxilium petie-  
 runt. Missusq; Decius Murena mox Libertinos  
 omneis aut in carcere necavit, aut dominis in  
 servitutem restituit.

## De Appio Claudio Caudice.

**A**ppius Claudius Vinctis Volsiniensibus, de  
 gnomēto Caudex, frater Caci fuit. Con-  
 sul



sul ad Mamertinos liberandos missus, quorum arcem Carthaginienses, & Hiero rex Syracusanus obsidebant, primo ad explorandos hosteis fretum piscatoria uave traiecit, & cum duce Carthaginiensium egit, ut praesidium arce deduceret. Rhegium regressus quinquerehem hostium copijs pedestribus cepit: phalangem in Siciliam traduxit. Carthaginiensibus Messana expulit. Hierona Regem praelio apud Syracusas in deditioem accepit, qui eo periculo ter-ritus Romanorum amicitiam petijt, eisq; postea fidelissimus fuit.

De Cneo Duillio & Himilcone  
Pœnorum duce.

Cneus Duillius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, cum videret eos multum mari posse, classem magis validam, quàm decoram fabrefecit, & manus ferreas, quas Corvos vocavere, cum irrisu hostium primus instituit. Quibus inter pugnandum hostium naueis apprehendit, qui victi, & capti sunt. Himilco dux classis Carthaginem fugit, & à Senatu quesivit, quid faciendum censerent? omnibus ut pugnaret, acclamantibus, Feci inquit, & victus sum. Sic pœnam cru-

cis effugit. Nam apud Pœnos dux malè re gesta puniebatur. Duillio, concessum est, ut prælucente funali, & præcincente tibicine, à cæna publicè rediret.

De Attilio Calatino.

**A**ttilius Calatinus dux Romanorum adversus Carthaginenses missus, maximis & munitissimis civitatibus, Aetna, Drepano, Lilybeo hostilia presidia deiecit. Panormum cepit, totamq; Siciliam pervagatus, paucis navibus, magnam hostium classem, duce Hamilcare, superavit. Sed cū ad Camerinam ab hostibus obsessam festinaret, à Pœnis in angustijs clausus est: Vbi tribunus militum Calphurnius Flamma acceptis trecentis in superiorem locum evasit, Consulem liberavit, ipse cum trecentis pugnans cecidit, & postea ab Attilio semianimis invētus, & sanatus, magno postea terrori hostibus fuit: Attilius gloriose triumphavit.

De Marco Attilio Regulo.

**M**arcus Attilius Regulus consul, fuis Salentinis, triūphavit, primusq; Romanorum ducum in Africam classem traiecit, quassatas, duce Hamilcare, navis lōgas, treis, & lx.

& lx. accepit. Oppida ducenta, & hominū ducenta millia cepit. Absente eo coniugi eius, & liberis ob paupertatem sumptus publicè dati. Mox arte Xantippi Lacedæmonij mercenarij militis captus, in carcerem missus, legatus de permutandis captivis Romam missus, dato iuramento, ut si non impetrasset, ita demū rediret, in senatu conditionē dissuasit, reiectisq; à se coniuge, & liberis, Carthaginem regressus, ubi in arcam ligneam coniectus, clavis introrsum adactis, vigilijs, ac dolore punitus est.

## De Quinto Lucretio Catulo.

**Q**uintus Lucretius Catulus primo Punico bello trecentis navibus adversum Pœnos profectus, sexcentas eorum naveis comitibus, & alijs oneribus impeditas duce Himilcone apud Egates insulas inter Siciliam & Aphricam depressit, finemq; bello imposuit. Pacem petentibus hac conditione concessit, ut Sicilia Sardinia, & cæteris insulis intra Italiam, Aphricamq; decederent, Hispania citra Hiberum fluvium abstinerent.

## De Hannibale Carthaginiensi duce.

**H**annibal Hamilcaris filius. xi. annos natus à patre aris admotus odium in Ro-

manos perenne iuravit. Exinde socius, & miles in castris patris fuit. Mortuo eo causam bellici querens, Saguntum Romanis foederatam intra sex mēseis evertit. Tum alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionē apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam, Flamminium apud Trasimenum, Paulum & Varonem apud Cannas superavit. Cumq; urbem capere posset, in Campaniam divertit, cuius delitijs elanguit. Et cum ad tertium ab urbe lapidem castra posuisset, tempestatibus repulsus, primum à Fabio Maximo frustratus, deinde à Valerio Flacco repulsus, à Graccho & Marcello fugatus, in Africam revocatus, à Scipione superatus, ad Antiochum Regem Syriae confugit, eumq; hostem Romanis fecit, quo victo ad Prusiam Bithyniae regem concessit. Unde Romam legatione repetitus, hausto, quod sub annuli gemma habebat, veneno, absumptus est, positus apud Libyssam in arca lapidea, in qua hodie quoque inscriptum est, Hannibal hic situs est.

#### De Quinto Fabio Maximo.

**Q**uintus Fabius Maximus cunctator, ut Verrucosus à verruca in labris, ita Ovicula

cula à clementia morum, Consul de Liguribus triumphauit. Hannibalem mora fregit. Minutium magistrum equitum imperio equari sibi passus est, & nihilo minus periclitanti subuenit. Hannibalem in agro Falerno inclusit. Manlium Statilium transfugere ad hosteis volentē, equo, & armis donatis retinuit, & Lucano cuidam fortissimo ob amorem mulieris infrequenti, eandē emptam dono dedit. Tarentum ab hostibus recepit. Herculis signū inde translatum in Capitolio dedicauit. De redemptione captiuorum cum hostibus pepigit, quod pactum cū à senatu improbaretur, fundū suum ducentis millibus vendidit, & fidei satisfecit.

## De Publio Scipione Nasica.

**P**ublius Scipio Nasica à senatu vir optimus iudicatus, matrē Deūm hospitio recepit. Cum aduersum auspicia consulem se à Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicauit. Cēsor statuas, quas sibi quisq; per ambitionem in foro ponebat, sustulit. Consul Delminium urbem Dalmatarū expugnauit: Imperatoris nomen à militibus, & ab senatu triumphum recusauit oblatum. Eloquentia primus, Iuris scientia cōsultissimus, ingenio sapientissimus fuit, unde vulgo Corculū dictus.

## De Marco Marcello.

**M** Arcus Marcellus Viridomarum Gallo-  
rum ducem singulari praelio fudit, spo-  
lia legit apud Nolam, Hannibalem primus lo-  
corum angustia adiutus vinci docuit. Syracu-  
sas per treis annos expugnavit, & cum per ca-  
lumniam triumphus ei à Senatu negaretur,  
de sua sententia in Albano monte triumphavit.  
Quinquies consul, insidijs Hannibalis de-  
ceptus occubuit, & magnifice sepultus. Ossa Ro-  
mã remissa, à prædonibus intercepta perierunt.

## De Livia Claudia, virgine Vestali.

**H** Annibale Italiam devastante, ex respon-  
so librorum Sibyllinorum mater Deum  
è Pessinunte accersita, cum adverso Tyberi ve-  
heretur, repente in alto stetit, & cum moveri  
nullis viribus posset, ex libris cognitum est ca-  
stissima demum femine manu moveri posse.  
Tum Claudia virgo vestalis falso incestus suspe-  
cta, deam oravit, ut si pudicam sciret, sequere-  
tur. Et zona imposita navem movit. Simula-  
chrum matris deum advexit, Templum ædifi-  
cavit Nasicæ, qui vir optimus indicabatur.

## De Marco Porcio Catone.

**M** Arcus Porcius Cato genere Tusculanus  
à Valerio Flacco Romã sollicitatus, tri-  
bunus

bunus militum in Sicilia, Quaestor sub Scipione fortissimus, Praetor iustissimus fuit. In praetura Sardiniam subegit, Vbi ab Ennio Gracis litteris institutus, consul Celtiberos domuit. Et ne rebellare possent, litteras ad civitates singulas misit, ut muros diruerent. Cum unaquaeque sibi soli imperari putaret, fecerunt. Syriaco bello tribunus militum sub Marco Attilio Glaucione occupatis Thermopylarum iugis, praesidium hostium depulit. Censor. L. Flamminium consularem senatu movit, quod ille in Gallia ad cuiusdam scorti spectaculum eductum quendam in carcere in convivio iugulari iussisset. Basilicam suo nomine primus fecit. Matronis ornamenta erepta Oppia lege repetentibus restitit. Accusator assiduus malorum, Galbam octogenerarius accusavit. Ipse quadragies quater accusatus gloriose absolutus. Carthaginē delendam censuit, post lxxx annos filium genuit, imago huius funeris gratia produci solet.

De Claudio Nerone & Hasdrubale  
fratre Hannibalis.

**H**asdrubal frater Hannibalis ingentibus copijs in Italiam traiecit, ad idumq; erat de Romano imperio, si coniungere Hanni-

bali copias potuisset. Sed Claudius Nero, qui in Apulia cum Hannibale castra cōiunxerat, relicta in castris parte, cum delectis ad Hasdrubalem properavit, & se Livio collega apud Senam oppidum, & Metaurum flumen coniunxit, amboq; Hasdrubalem vicerunt. Nero regressus, pari celeritate, qua venerat, caput Hasdrubalis ante vallum Hannibalis proiecit. Quo ille viso, vinci se fortuna Carthaginis confessus est. Ob hac Livius triumphans, Nero evans, urbem introierunt.

De Publio Cornelio Scipione  
Aphricano.

**P**ublius Scipio ex virtutibus cognominatus Aphricanus, Iovis filius creditus. Nā antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit. Et ipsi paruulo draco circumfusus nihil nocuit. In capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes allatraverūt. Nec hic quicquam prius cepit, quā in cella Iovis diutissime sedisset, quasi divinam mentem accepisset. Decem & octo annorum patrem apud Ticinā singulari virtute servavit. Clade Cannensi nobilissimos iuvenes Italiā deserere cupienteis sua auctoritate compescuit. Reliquias  
inco-



incolumis per media hostiū castra Canusium  
 perduxit. Vigintiquatuor annorum prator in  
 Hispaniam missus, Carthaginem, qua die ve-  
 nit, cepit. Virginem pulcherrimam, ad cuius  
 aspectum concurrebatur, ad se vetuit adduci,  
 patriq; eius ac sponso restitui iussit. Hasdruba-  
 lem, Magonemq; fratres Hannibalis Hispania  
 expulit. Amicitiam cum Syphace Maurorum  
 Rege coniunxit. Masinissam in societatem rece-  
 pit. Victor domum regressus consul ante annos  
 factus, concedente collega in Africam classe  
 traiecit. Hasdrubalis & Syphacis castra una  
 nocte perripuit. Reuocatum ex Italia Hanniba-  
 lem superavit. Victis Carthaginensibus leges  
 imposuit. Bello Antiochi legatus fratri fuit, ca-  
 ptum filiū gratis recepit. A Petilio Acteo Trib.  
 pl. repetundarum accusatus, librum rationum  
 in conspectu populi scidit, Hac die inquit Car-  
 thaginem vici: quasi bonum factum, in capito-  
 lium eamus, & dys supplicemus. Inde in vo-  
 luntarium exilium cōcessit, ubi reliquam egit  
 etatē. Moriens ab uxore petijt, ne corpus suum  
 Romam referretur.

## De Livio Salinatore.

**L**ivius Salinator primo consul de Illyrijs  
 triumphavit. Deinde ex invidia pecula-

*sus reus ab omnibus tribubus, excepta Metia condemnatus. Iterum cū Claudio Nerone inimico suo consul, ne resp. discordia male administraretur, amicitiam cum eo iunxit, & de Hasdrubale triumphavit. Censor cum eodem collega omnes tribus excepta Metia aeras fecit. Stipendio privavit eo crimine, quod aut prius se iniuste condemnassent, aut postea tantos honores non recte tribuissent.*

De T. Quintio Flamminio.

**T** Quintius Flamminius Flamminij, qui apud Trasimenum perijt, filius, cōsul Macedoniam sortitus ducibus Charopis principis pastoribus provinciam ingressus, regem Philippum praelio fudit, castris exiit. Filium eius Demetrium obsidem accepit, quem pecunia multatum in regnum restituit. A Nabide quoque Lacedaemonio filium obsidem accepit. Liberos esse Gracos Nemea per praconem pronuntiavit. Legatus etiam ad Prusiam, ut Hannibalem repeteret missus.

De Quinto Fulvio nobiliore.

**Q**uintus Fulvius nobilior consul Etolos Ambraciotasq; superavit. Unde ovans  
urbem

urbem introijt. Consul Achaos, qui bello Macedonico interfuerant, post ad Antiochum defecerant, praelijs frequentibus victos, & in Ambraciam oppidum coactos, in deditiōem accepit, tantum signis, tabulisq; pictis spoliavit, de quibus triumphauit. Quam victoriam per se magnificam Marcus Ennius amicus eius insigni laude celebravit.

## De Lucio Scipione Asiatico.

Scipio Asiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Africa virtutis nomine à fratre laudatus, consul Antiochum regem Syria legato fratre apud Sipylum montem cum arcus hostium pluvia hebetati fuissent, vicit, & regni relictum à patre parte privavit, hinc Asiaticus dictus. Post reus pecuniae interceptae, ne in carcerem duceretur, Gracchus tribus pl. intercessit. M. Cato censor equum ei ignominiae causa ademit.

## De Antiocho Rege Syriae.

Antiochus Syria Rex nimia opum fiducia bellum Romanis intulit, specie Lysimachiae repetenda, quam à maioribus suis in Thracia conditam Romani possidebant, Statimq;

Graciam, insulasq; eius occupavit. In Eubœa luxuria elanguit. Adventu Attilij Glabrionis exercitus Thermopylas occupavit. Unde industria Marci Catonis eiectus, in Asiam refugit. Navali praelio, cui Hannibalem praefecerat à L. Aemilio Regillo superatus, filium Scipionis Africani, quem inter navigandum caeperat, patri remisit, qui ei, quasi pro reddenda gratia suavit, ut amicitiam Romanam peteret. Antiochus spreto consilio, apud Sipylum montem cum L. Scipione conflavit. Victus, & ultra Taurum montem relegatus, à sodalibus, quos temulentus in convivio pulsaverat, occisus est.

De Cneo Manlio Volsone.

**C**neus Manlius Volsus, missus ad ordinandam Scipionis Asiaticae provinciam, cupiditate triumphis, bellum Pisidijs & Gallograecis, qui Antiocho affuerant, intulit. His facile victis, inter captivos uxor regis Ortiagontis centurioni cuidam in custodiam data, à quo vestigata de iniuria tacuit. Et post impetrata redemptione marito adulterum centurionem interficiendum tradidit.

De L. Aemilio Paulo Macedonico.

**L**ucius Paulus Aemilius filius eius, qui apud Cannas cecidit, primo consulatu, quem

quem post treis repulsas adeptus erat, de Liguribus triumphavit. Rerum gestarum ordinem in tabula pictum publicè posuit, iterum consul Persem Philippi filium regem Macedonũ apud Samo thracas cepit, quem vinctum flevit, & assidere sibi iussit, tamẽ in triumphum duxit. In hac letitia duos filios amisit. Et progressus ad populum gratias fortuna agit, quòd si quid adversi Reip. iminebat, sua esset calamitate decisum. Ob hac omnia & à populo, & à senatu concessũ est, ut ludis Circensibus triumphali veste uteretur. Ob huius licentiam, & paupertatem post mortem eius dos uxori, nisi venditis possessionibus, non potuit exsolui.

## De T. Sempronio Graccho.

**T**iberius Sempronius Gracchus nobilissima familia ortus. Scipionẽ Asiaticũ, quamvis inimicum, duci in carcerem non est passus. Prator Galliam domuit, consul Hispaniam, altero consulatu Sardiniam, tantumq; captivorum adduxit, ut longa venditione res in proverbium veniret, Sardi venales. Censor libertinos, qui rusticas tribus occuparant, in quatuor urbanas divisit, ob quod à populo collega eius Claudius (nam ipsum auctoritas tueba-

D

batur) reus factus, & cū eum duæ classes condemnassent, Tiberius iuravit, se cum illo in exilium iturum. Ita reus absolutus est. Et cū in domo Tiberi duo angues è geniali toro repsissent, responso dato eum de dominis periturum, cuius sexus anguis fuisset occisus. Amore Cornelia coniugis marem iussu interfici.

De P. Scipione Aemiliano.

**P**ublius Scipio Aemilianus, Pauli Macedonici filius, à Scipione Africano adoptatus, in Macedonia cū patre agens, victum Persem tam pertinaciter persecutus est, ut media nocte in castra redierit. Lucullo in Hispaniam legatus, apud Intercatiam oppidum provocatorem singulari praelio vicit. Muros hostiles civitatis primus ascendit. Tribunus in Africa sub Tito Manlio Imperatore cohortes octo obsidione vallatas consilio & virtute servavit, à quibus corona obsidionali donatus. Cū adilitatem peteret consul ante annos ultro factus, Carthaginem intra sex menseis delevit. Numantiam in Hispania, correpta prius militum disciplina, fame vicit, hinc Numātinus dictus. Caio Lelio plurimum usus. Ad reges adeundos missus, duos secū præter eum servos duxit. Ob

res gestas superbus Gracchum iure occisum videri respondit, obstrepente populo, Taceant, inquit, quibus Italia noverca est, non mater & addidit, quos sub corona vendidi. Censor Mummius collega segnior in senatu ait, Vtinam mihi collegam aut dedissetis, aut non dedissetis. Suscepta agrariorum causa, domi repente ex animis inventus, obvoluto capite elatus, ne livor in ore appareret. Huius patrimonium tam exiguum fuit, ut xxxij. libras argenti, duas & semilibram auri reliquerit.

## De Aulo Hostilio Mancino.

**A**ulus Hostilius Mancinus praetor adversum Numantinos veteribus avibus, & inescio qua voce revocante profectus, cum ad Numantiam venisset, exercitum Pompeij acceptum prius corrigere decrevit, inde solitudinem petit, eo die Numantini forte solenni nuptu filias locabant, & unam speciosam duobus competentibus pater puella conditionem tulit, ut ei illa nuberet, qui hostis dexteram attulisset. Profecti iuvenes abscessum Romanorum in modum fugae properantium cognoscunt, rem ad suos referunt. Illi statim quatuor millibus viginti millia Romanorum ceciderunt. Mancinus aucto

re Tiberio Graccho quaestore in leges hostiū fœdus percussit, quo per Senatū improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus, augurio in castra deductus præturam postea consecutus est.

De Lucio Mummiō Achaico.

**L**ucius Mummius deleta Achaia Achaicus, adversus Corinthios missus, victoriā alieno labore quaesitam interceptit. Nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudisset, & duce Critolao privasset, cum lieto ribus, & paucis equitibus in Metelli castra properavit, Corinthios apud Leucopetrā vicit duce Dioneo, qui domū refugit, eamq; incendit, coniugem interfecit, & se in ignem precipitavit, excepto ipso, nemo interijt. Mummius Corinthum signis, tabulisq; spoliavit, quibus cum totam repleisset Italiam, in domum suam nihil contulit.

De Q. Cæcilio Metello Macedonico.

**Q**uintus Cæcilius Metellus à domo Macedonia Macedonicus, prætor Pseudo Philippum, qui idem Andriscus dictus est, vicit, Achaos bis prælio fudit, triumphandos Mumio tradidit. Invisus plebi ob nimiam severitatem,



ritatem, & ideo tertio post duas repulsas, consul agre factus Arbachos in Hispania domuit. Apud Conrebiā oppidū cohortes loco pulsas redire, & locum recipere iussit. Cū omnia proprio, & subito cōsilio ageret, amico cuidam quid acturus esset roganti, Tunicā, inquit, meā exurerem, si eam consilium meum scire existimarem. Hic quatuor filiarum pater, supremo tempore humeris eorum ad sepulchrum latus est. Ex quibus treis cōsuleis, unum etiā triumphantem vidit.

## De Q. Cæcilio Metello Numidico.

**Q**uintus Cæcilius Metellus Numidicus, qui de Iugurtha rege triumphavit, Censor Quintiū, qui se Tiberij Gracchi filiū mentiebatur, in censum non recepit. Idem in legem Apuleiam per vim latā iurare noluit. Quare in exilium actus Smyrnæ exulavit. Claudia deinde rogatione revocatus, cū ludis fortè literas in theatro accepisset, non prius eas legere dignatus est, quàm spectaculum finiretur. Metellum sororis suæ virum laudare noluit, quod is olim suum iudicium, & leges detrectarat.

## De Quinto Metello Pio.

**Q**uintus Metellus Pius Numidici filius, pius, quia patrem lachrymis, & preci-

bus assidue ab exilio revocavit. Prætor bello sociali. Q. Pompeium Marforum ducem interfecit. Consul in Hispania Herculeios fratres oppressit. Sertorium Hispania expulit. Adulescens in petitione prætura, & pontificatus consularibus viris prælatum est.

### De Tiberio Graccho.

**T**iberius Gracchus Africani ex filia nepos, Quæstor Mancino in Hispania fedus eius flagitiosum probavit. Periculum deditio- nis eloquentiæ gratia effugit. Tribunus ple. legem tulit, nequis plus mille agri iugera haberet. Octavio collega intercedente novo exemplo magistratu abrogavit. Deinde tulit, ut ea familia, quæ de Attali hereditate erat, ageretur, & populo divideretur, deinde cum prorogare sibi potestatem vellet, adversis auspicijs in publicum processit, statimq; capitolium petijt, manum ad caput referens, qua salutem suam populo commendabat. Hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceretur. Segniterq; cessante Mutio consule, Scipio Nasica sequi se iussit, qui salvam Rempub. vellent, Gracchum in capitolium persecutus oppressit. Cuius corpus Lucretij ædilis manu in Tyberim missum, unde ille

ille *Vispillo* dictus. *Nasica* ut invidia subtraheretur, per speciem legationis in *Asiam* ablegatus est.

De *Caio Graccho*.

**C**aius *Gracchus* pestilentem *Sardiniam* quaestor sortitus, non veniente successore, sua sponte discessit. *Asculana* & *Fergellana* defectionis invidiam sustinuit. Tribunus pl. agrarias & frumentarias leges tulit. *Colonos* etiam *Capuam* & *Tarentum* mittendos censuit. Triumviros agris dividendis se & *Fulvium Flaccum*, & *C. Crassum* constituit. *Minucio Ruffo* Tr. pl. legibus suis abrogante, in *capitolium* venit. Vbi cum *Attilius* praeco *Opimij* consulis, in turba fuisset occisus, in forum descendit, & imprudens concionem a tr. pl. advocavit. Quare accersitus, cum in *Senatum* non venisset, armata familia *Aventinum* occupavit. Vbi ab *Opimio* victus, dum a templo *Diana* desiliit, talum intorsit, & *Pomponio* amico apud portam *trigeminam*. *P. Lecterio* in ponte *sublicio* persequentibus resistente, in lacum *Furinae* peruenit. Ibi vel sua vel *serui Euphori* manu interfectus, caput a *Septumuleio* amico *Gracchi* ad *Opimum* relatum, auro expensum fertur propter avaritiam infuso plumbo gravius effectum.

## De Marco Livio Druso.

**M**arcus Livius Drusus genere, & eloquentia magnus, sed ambitiosus, & superbus, adilis manus magnificentissimum dedit, & ibi Rubrio collega quadam de utilitate reip suggerente, quid tibi inquit cum Republica nostra? Quaestor in Asia nullis insignibus usi voluit, nequid ipso esset insignius. Tribunus pl. Latinis civitatem plebi agros, equitibus curiam, senatui iudicia permisit. Nimia liberalitatis fuit. Ipse etiam professus nemini se ad largiendum praeter caelum & caenum reliquisse. Ideoq; cum pecunia egeret, multa contra dignitatem fecit. Magulsum Mauritania principem ob regis similitatem profugum accepta pecunia Bocho prodidit, quem ille elephantino obiecit. Adherbalem filium regis Numidarum obsidem domi suae sumpsit, redemptionem eius occulte a patre sperans. Caepionem inimicum actionibus suis resistentem ait se de saxo Tarpeio precipitaturum. Consuli legibus Agrariis resistenti, ita collum in Comitio obtorsit, ut multus sanguis efflueret e naribus, quae ille luxuria comprobans, morti iam detrudi se dicebat. Deinde ex gratia in invidiam venit. Nam plebs acceptis agris gaudebat, expulsi dolebant,

bant, equites lecti letabantur. Senatus permissis iudicijs exultabat, sed societatem cum equitibus agrè ferebat. Vnde Livius anxius, ut latinorum postulata differret, qui promissam civitatem flagitabant, repente in publico concidit, sive morbo comitiali, seu hausto caprino sanguine semianimis domū relatus. Vota pro illo per Italiam publicè suscepta sunt, & cum Latini consulem in Albano monte interfecturi essent, Philippum admonuit, ut caveret, unde in senatu accusatus, cum domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, corruit. Invidia cedis apud Philippum, & Caepionem fuit.

## De Caio Mario patre.

Caius Marius septies consul Arpinas humili loco natus primis honoribus per ordinē functus legatus Metello in Numidia, criminando consulatum adeptus, Iugurtham captum ante currum egit. In proximum annum consul ultro factus. Cymbros in Gallia apud aquas Sextias, Theutonas in Italia in campo Claudio vicit, deq; his triumphavit. Vsq; ad sextum consulatum per ordinem factus Apuleium Saturninum tri. ple. & Glauciam Praetorem seditiosos ex senatusconsulto interemit.

Et cum Sulpicia rogatione provinciam Syllae eriperet, armis ab eo victus, Minturnis in Palude latuit. Inventus & in carcerem coniectus, immissum percussorem Gallum vultus auctoritate deterruit, Acceptaque navicula in Aphricam traiecit. Ibi diu exulavit. Mox Cinnana dominatione revocatus, ruptis ergastulis, exercitum fecit, cesisque inimicis iniuriam ultus septimo consulatu, ut quidam ferunt, voluntaria morte decessit.

## De Caio Mario filio.

**C**Aius Marius filius. xxv. annorum consulatum invasit, quem honorem tam immaturum mater flevit, hic patri sevitia similis curiam armatus obsedit. Inimicos trucidavit, quorum corpora in Tyberim precipitavit. In apparatu belli, quod contra Syllam parabatur apud Sacriportum vigilijs & labore defessus, sub dio requievit, & absens victus, fuga, non pugna interfuit. Praeneste refugit, ubi per Lucretium Offellam obsessus tentata per cuniculum fuga cum omnia septa intelligeret, iugulandum se Pontio Telesino praeiit.

## De Lucio Cornelio Cinna.

**L**ucius Cornelius Cinna flagitiosissimus Remp. summa crudelitate vastavit. Pri-  
mo con-

mo consulatu legē de exulibus revocandis ferens ab Octavio collega prohibitus, & honore privatus, Vrbe profugit, Vocatisq; ad pileum servis, adversarios vicit. Octavium interfecit. Ianiculum occupavit. Iterū & tertio consulem seipse fecit. Quarto consulatu cum bellum cōtra Syllam pararet, Ancone ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est.

## De C. Fimbria,

**C** Fimbria severissimus quippe Cinna satelles, Valerio Flacco consuli legatus in Asiam profectus, per similitudinem dimissus. Corrupto exercitu, ducem interficiendum curavit. Ipse correptis imperij insignibus, provinciā ingressus, Mithridatem Pergamo expulit. Ilium ubi tardius porta patuerunt, incendi iussit, ubi Minervae templum inviolatum stetit, quod divina maiestate servatum nemo dubitavit. Idē Fimbria militia principes securi percussit, Mox à Sylla Pergami oppressus corrupto exercitu desertus semet occidit.

## De Viriato Lusitano,

**V**iriatu genere Lusitanus ob paupertatem primo mercenari⁹, Deinde alacritate ve

etor, audacia latro, ad postremum Dux, bellum adversum Romanos sumpsit, eorumque Imperatorem Claudium Vnimanum, Deinde. C. Nigidium oppressit. Pacem à Popilio maluit integer petere, quam victus. Et cum alia dedisset, & arma retinerentur, bellum renovavit. Cæpio cum vincere aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depositum perimerent. Quæ victoria quia emptarata, à senatu non probata.

De Marco Aemylio Scauro.

**M**arcus Aemylius Scaurus nobilis, pauper. Nā pater eius, quamvis patritius, ob paupertatem carbonarium negocium exercuit. Idem primo dubitavit, honores peteret, an argentariam faceret, sed eloquentia consultus, ex ea gloriam peperit. Primo in Hispania corniculum meruit. Sub Horeste in Sardinia stipendia fecit. Aedilis iuri reddendo magis, quam muneri edendo studuit. Prætor adversus Jugurtham, tamē eius pecunia victus. Consul legem de sumptibus, & libertinorum suffragiis tulit. P. Decium prætorem transeunte ipso, sedentem iussit assurgere, ei que vestem scidit, sellam concidit, ne quis ad eum in ius iret, edixit. Consul Ligures, & Gantiscos domuit, atque  
de his



de his triumphavit. Censor Aemyliam stravit. Pontè Milvium fecit. Tantumq; auctoritate potuit, ut Opimium contra Cracchum, Mariè contra Glauciam, & Saturninū privato consilio armaret. Idem filium suum, quia presidium deseruerat, in conspectum suum vetuit accedere, Ille ob hoc dedecus mortem sibi conscivit. Scaurus senex, cum à Varro trib. ple. argueretur, quasi socios, & Latium ad arma coegisset, ad populum ait, Surlus Sucronensis Aemylium Scaurum ait socios ad arma coegisse, Scaurus negat, utri potius credendum putatis?

## De Lucio Apuleio Saturnino.

**L**ucius Apuleius Saturninus trib. ple. seditionosus, ut gratiam Marianorum militum pararet, legē tulit, ut Veteranis Centena agrè iugera in Aphrica dividerentur, Intercedentem Bebiū collegam, facta per populum lapidatione, submovit, Glaucia pretori, quòd is eodie quo is concionem habebat, ius dicendo partem populi advocasset, sellam concidit, ut magis popularis videretur. Quendam Libertini ordinis subornavit, qui se Tiberij Gracchi filiū fingeret. Ad hoc testimonium Sempronia soror Gracchorum producta, nec precibus, nec mi-

nis adduci potuit, ut dedecus familiae agnosceret. Saturninus Aulo Mummiō competitore interfecto tribunus ple. refectus Sicilia, Achaia, Macedoniam novis colonis destinavit, & aurum dolo, an scelere Capionis partem ademptionem agrorum convertit. Aqua & igni interdixit ei, qui in leges suas non iurasset. Huic legi multis nobilibus abrogantibus, cum tonuisset, iam inquit, nisi quiescitis, grandinabit. Metellus Numidicus exulare, quam iurare maluit. Saturninus tertio tribunus ple. refectus, ut satellitem suum Clauciam praetorem faceret, Mummiū competitorem eius in Campo Martio necandum curavit. Marius senatusconsulto armatus, quo cēsetur, ne quid Respub. detrimenti caperet, darent operam consules. Saturninum & Clauciam in Capitolium persecutus obsedit, maximoque astu incisus fistulis in deditioem accepit, nec deditis fides servata est. Claucia fracta cervix, Apuleius cum in curiam fugisset, lapidibus, & tegulis desuper interfectus. Caput eius Rabirius quidam Senator per convivia in ludibrium circumtulit.

De Lucio Lucullo.

**L**ucius Lucullus nobilis disertus, & dives, munus quaestorium amplissimum dedit.

Mox

DE VIRIS ILLUSTRIBVS. SE

Mox per Murenam in Asia classem Mithridatis, & Ptolemeum regem Alexandriae consuli Sylla conciliauit. Praetor Africam iustissime rexerit. Adversus Mithridatem missus, collegam suum Cottam Calcedoniae obsessum liberavit. Cyzicon obsidione soluit, Mithridatis copias ferro, & fame afflixit, eumque regno suo Ponto expulit. Quem rursus cum Tigrane rege Armeniae subueniente magna felicitate superavit. Nimius in habitu. Maxime signorum & tabularum amore flagravat. Post cum alienata mente, desipere cepit, tutela eius. M. Lucullo fratri permissa est.

De Lucio Cornelio Sylla.

Cornelius Sylla in fortuna felix dictus, cum parvulus à nutrice ferretur, mulier obvia, salve, inquit, puer tibi, & Reip. tuae felix. Et statim quaesita, quae haec dixisset, non potuit inveniri. Hic quaestor Marij Jugurtham à Bocho in deditioem accepit. Bello Cymbrico, & Theutonico legatus bonam operam navavit. Praetor inter civeis ius dixit, praetor Ciliciam provinciam habuit. Bello sociali Samnitibus, Hirpinosque superavit. Ne monumenta Bochi tollerentur, Mario restitit. Consul Asiam sortitus.

Mithridatem apud Orchomenum, & Cheroneam praelio fudit. Archelaum praefectum eius Athenis vicit. Portum Peiraum recepit. Medos, Dardanos in itinere superavit. Mox cum rogatione Sulpicia imperium eius transferretur, ad Marium in Italiam regressus corruptis adversariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit. Marium apud Sacriportum, Telesinum apud portam Collinam vicit. Mario Praeneste interfecto, felicem se edicto appellavit. Proscriptionis tabulas primus proposuit, Novem millia deditorum in villa publica cecidit. Numerum sacerdotum auxit. Tribunitiam potestatem minuit. Repub. ordinata dictaturam deposuit. Vnde spe deceptus Puteolos concessit, & morbo, qui Phtheiriasis vocatur, interijt.

De Mithridate Rege Ponti.

**M**ithridates Rex Ponti oriundus à septem Persis, magna vi animi, & corporis, ut sexiuges equos regeret, duarum & viginti gentium ore loqueretur. Bello sociali dissidentibus Romanis, Nicomedem Bithynia, Ariobarzannem Cappadocia expulit. Literas per totam Asiam misit, ut quicumque Romanus esset, certa die interficeretur, & factum est. Graciam insulasque

DE VIRIS ILLUSTRIBVS. 83

Juliasq; omneis excepta Rhodo occupavit. Sylla eum praelio vicit. Classem eius prodicione Archelai interceptit. Ipsum apud Orchienū oppidum fudit, & oppressit, & potuit capere, nisi adversum Marium festinās, qualemcumq; pacem componere maluisset. Deinde eum Argis resistentem Lucullus fudit. Mithridates post à Pompeio nocturno praelio victus, in regnum confugit, ubi per seditionē popularem à Pharnace filio in turre obsessus, venenum sumpsit. Cum id tardius biberet, quia adversum venena multis antea medicaminibus corpus firmaverat, immissum percussorē Gallum, Sithocum auctoritate vultus territum, revocavit, & in eadem suam manum trepidantis adiuvit.

De Cneo Pompeio Magno.

Cneus Pompeius Magnus civili bello Sylla a partes secutus, ita egit, ut ab eo maximè diligeretur. Siciliam sine bello à proscriptis recepit. Numidiam Iarba creptam, Masinisse restituit, vigintisex annos natus triumphavit. Lepidum acta Syllarescindere volentem, privatus Italia abrogavit. Praetor in Hispaniam proconsuli missus Sertorium vicit. Mox piratas intra quadragesimū diem subegit. Tigra-


E

nem ad deditiōē, Mithridatem ad venenum  
 compulit. Deinde mira fœlicitate rerum in se-  
 ptenirione Albanos, Colchos, Heniochos, Ca-  
 ssios, Hiberos: Nunc in oriente Parthos, Ara-  
 bas, atq; Iudeos cum magno sui terrore pene-  
 travit. Primus in Hircanū, Rubrum, & Ara-  
 bicum mare usq; pervenit. Mox diviso orbis  
 imperio cum Crassus Syriam, Caesar Galliam,  
 Pompeius urbem obtineret, post eadem Crassū  
 Casarem dimittere exercitum iussit. Cuius in-  
 festo adventu urbe pulsus, in pharsalia victus,  
 ad Ptolemæum Alexandria regem fugit. Hu-  
 ius laus sub oculis uxoris, & liberorum à Se-  
 ptimio Ptolemæi præfecto mucrone confossum  
 est. Itaq; defuncti caput gladio præcisum, quod  
 usq; ad ea tempora fuerat adoratum. Truncus  
 Nilo iactus à Servio Coârō rogo iniustus, huma-  
 tusq; est, inscribente sepulchro. Hic situs est Ma-  
 gnus. P. Caput ab Achilla Ptolemæi satellite,  
 Aegyptio velamine involutum, cum annulo  
 Casari præsentatum est. Qui non continens  
 lachrymas, illud plurimis, & pretiosis-  
 simis odoribus cremandum  
 curavit.

EIVS.

55  
EIVSDEM  
CORNELII NEPOTIS  
ADDITAMENTVM,  
ex manusc.

De Catone Prætorio.

ATO Prætorius, Catonis Cæſorij præ-  
nepos, cum in domo avunculi Drusi  
educaretur, nec pretio nec minis po-  
tuit adduci à Q. Pōpedio Silone, Mar-  
ſorum Principe, ut favere ſe cauſa Sociorū di-  
ceret. Quaſtor in Cyprum miſſus ad vehendā  
ex Ptolemæi hereditate pecuniam cum ſum-  
ma eam fide perduxit: prætor conuſatos pu-  
niendos cenſuit. Bello civili, Pompeij partis  
ſequutus eſt: quo victo, exercitum per deſerta  
Africa duxit; ubi Scipioni conſulari delatum  
ad ſe imperium conceſſit. Victis partibus, Vti-  
cam conceſſit: ubi filium hortatus ut cle-  
mentiam Cæſaris experiretur, ipſe lecto Pla-  
tonis libro, qui De bonis mortis eſt, ſemet  
occidit.

De C. Iulio Cæſare.

Caius Iulius Cæſar, veneratione rerum  
geſtarum Divus dictus. Contubernalis

Thermo in Asiam profectus; cum saepe ad Nicomedem regem Bithyniae commearet, impudicitiae infamatus est. Mox Dolabellam iudicio oppressit. Dum studiorum causa Rhodum petit, a piratis captus & redemptus, eosdem & postea captos punivit. Praetor Lusitaniae, & post Galliam, ab Alpibus usque; & Oceanum bis classe transgressus, Britanniam subegit. Cum ei triumphus à Pompeio negaretur, armis eum urbe pulsus in Pharsalia vicit. Capite eius oblato fleuit, & honorifice sepeliri fecit: mox à satellitibus Ptolemaei obsessus, eorum & regis nece Pompeio parentavit. Pharnacem Mithradatis filium fama nominis fugavit. Iubam & Scipionem in Africa; Pompeios iuvenes in Hispania apud Mundam oppidum lugenti praelio vicit. Deinde ignoscendo amicis, odia cum armis deposuit. nam Lentulum tantum, & Afranium, & Faustum Sullae filium, iussit occidi. Dictator in perpetuum factus à Senatu; in curia, Cassio & Bruto caedis auctoribus, tribus & viginti vulneribus occisus est: cuius corpore pro rostris posito, Sol orbem suum celasse dicitur.

## De Marco Bruto.

**M**arcus Brutus, avunculi Catonis imitator, Athenis philosophiam, Rhodi eloquens,



quentiam didicit. Cytheridem nimiam cum Antonio & Gallo amavit. Quaestor in Galliam proficisci noluit; quòd id bonis omnibus displicebat: Cum Appio Claudio in Cilicia fuit: & cum ille repetundarum accusaretur, ipse ne verbo quidem infamatus est. Civili bello à Catoe ex Cilicia retractus, Pompeium sequutus est: quo victo, veniam à Cesare accepit, & Proconsul Galliam rexit; tamen cum alijs conu-ratis in curia Cesare occidit. Et ob invidiam veteranorum in Macedoniam missus, ab Augusto in campis Philippicis victus, Stratonè cervicem praeiuit.

## De C. Cassio Longino.

**C**Aius Cassius Longinus, Quaestor Crassi in Syria fuit: post cuius cladem, collectis reliquis in Syriam redijt. Osacem praefectum regium, apud Orontè fluvium superavit. Dein, quòd coemtis Syriacis mercibus foedissime negotiaretur, Carvota cognominatus est. Tribunus plebis Casarem oppugnauit. Bello civili Pompeium sequutus classi praefuit: à Cesare veniam accepit: tamen adversus eum conu-rationis auctor cum Bruto fuit: & in cede duobuandi cuidam, Vel per me, inquit, feri: ma.

gnoq; exercitu comparato, in Macedonia Bruto coniunctus, in campis Philippicis ab Antonio victus, cum eandem fortunam Bruti putaret, qui Casarem vicerat, Pandaro liberto iugulum praeiuit. Cuius morte audita, Antonius exclamasse dicitur, Vici.

De Marco Tullio Cicerone.

**M**arcus Tullius Cicero, genere Arpinas, patre equite Romano natus, genus à Servio Tullio rege duxit. Adulescens, Rosciano iudicio, eloquentiam & libertatem suam adversum Sullanos ostendit. ex quo veritus invidiam, Athenas studiorum gratia petiuit: ubi Antiochum Academicum philosophum studiosè audiuit. Inde eloquentiae gratia Asiam, post Rhodum petijt; ubi Molonem Graecum, rhetorem tum disertissimum, magistrum habuit, qui fesse dicitur, quòd per hunc Graecia eloquentiae laude privaretur. Quaestor Siciliam habuit; Aedilis, C. Verrem repetundarum damnavit. Praetor, Ciliciam latrocinij liberavit. Consul coniuratos capite puniuit. Mox invidia P. Clodij, instinctuq; Caesaris & Pompeij, quos, dominationis suspectos eadem, qua quondam Sullanos libertate perstrinxerat, sollicitatis

satis Pisone & Gabinio Consulibus, qui Macedoniam Syriamq; provincias in stipendiū opera huius acceperant, in exilium actus: mox ipso referente Pompeio redijt; eumq; civili bello sequutus est. Quo victo, veniam à Cesare ultro accepit. quo interfecto, Augustum fovit, Antonium hostem indicavit. Et cum III. viros se fecissent, Caesar, Lepidus Antoniusq;, concordia non aliter visa est inter eos iungi posse; nisi Tullius necaretur: qui, immisis ab Antonio percussoribus, cum fortè Formijs quiesceret, imminens exitium corvi auspicio didicit: & fugiens occisus est: caput ad Antonium relatum.

#### De Sexto Pompeio.

**S**extus Pompeius, in Hispania apud Mundam victus, amisso fratre, reliquis exercitus collectis Siciliam petijt: ubi ruptis ergastulis, mare obsedit. Interceptis comitatibus Italianam vexavit: & cum mari feliciter uteretur, Neptuni se filium confessus est, eumq; bobus auratis & equo placavit. Pace facta epulatus in navi cum Antonio & Cesare, non invenistè ait; Hæ sunt meæ Carinæ: quia Roma in Carinis domum eius Antonius tenebat. Rupto per eundem Antonium fœdere, Sextus

ab Augusto per Agrippam navali prelio victus, in Asiam fugit, ubi ab Antonianis militibus occisus est.

#### De Marco Antonio.

**M**arcus Antonius, in omnibus expeditionibus Julio Casari comes. Lupercalibus diadema ei imponere tentavit: mortuo divinos honores decrevit. Augustum perfidiosè tractavit, à quo apud Mutinam victus, Perusy fame domitus, in Galliam fugit: ibi Lepidum sibi collegam adiunxit: Brutum, exercitum eius corrupto, occidit. Reparatis viribus in Italiam regressus, cum Casare in gratiam redijt. Triumvir factus, proscriptionem à Lucio Casare avunculo suo cœpit. In Syriam missus, bellum Parthis intulit. à quibus victus, vix tertiam partem de quindecim legionibus in Aegyptum perduxit. ibi Cleopatra amore devinctus, in Actiaco litore ab Augusto victus est. In Alexandriam regressus, cum habitu regio in solio regali sedisset, necè sibi conscivit.

#### De Cleopatra Regina.

**C**leopatra, Ptolemæi regis Aegyptiorum filia, à fratre suo Ptolemæo, eodemq; marito,

rito, quem fraudare regno voluerat, pulsa, ad  
 Casarem bello civili in Alexandriam venit,  
 ab eo specie sua & cōcubitu, regnum Ptolemæi  
 & necem impetravit. Hæc tanta libidinis fuit,  
 ut sæpe prostituerit, tanta pulchritudinis, ut  
 multi noctem illius morte emerint. Postea An-  
 tonio iuncta, cum eo victa, cum se illi inferias  
 ferre simularet in Mausoleo eius, admotis aspi-  
 dibus perijt.

### Octavius Augustus.

**C**Aesar Octavianus, ex Octavia familia  
 in Iuliam translatus, in ultionem Iulij Ca-  
 saris, à quo hæres fuerat institutus, Brutum &  
 Cassium, cædis auctores, in Macedonia vicit.  
 Sextum Pompeium Cn. Pompeij F. bona pater-  
 na repetentem, in freto Siculo superavit. Mar-  
 cum Antonium Consulem Syriam obtinen-  
 tem, amore Cleopatrae devinctum, in Actiaco  
 Ambracia litore debellavit: reliquam orbis  
 partem per legatos domuit. Huic Parthi signa  
 que Crasso sustulerant, ultrò reddiderunt: In-  
 di, Scythæ, Sarmatæ, Daci, quos non domuit,  
 dona miserunt. Iani gemini portas bis ante se  
 clausas, primò sub Numa; iterum post primum  
 Punicum bellum; sua manu clausit. Dictator

in perpetuum factus, à Senatu ob res gestas,  
 Divus Augustus est appellatus.

De T. Pomponio Attico.

**P**omponius Atticus, ab origine ultima stir-  
 pis Romanæ generatus, perpetuo à maio-  
 ribus acceptam equestrem obtinuit dignita-  
 tem. pater usus est diligente, indulgente, & ut  
 tum erant tempora, diti, in primisq; studioso  
 litterarum. hic, prout ipse amabat litteras,  
 omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas imper-  
 iri debet, filium erudit. erat autem in pue-  
 ro, præter docilitatem ingenij, summa suavi-  
 tas oris, & vocis, ut non solum celeriter acci-  
 peret, quæ tradebantur, sed etiam excellenter  
 pronuntiaret. qua ex re à pueritia nobilis in-  
 ter æquales ferebatur, clariusq; exsplendesce-  
 bat, quàm generosi condiscipuli animo æquo  
 ferre possent, itaq; incitabat omnes studio suo.  
 quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marij  
 filius, M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi  
 devinxit, ut nemo ijs perpetuo fuerit carior.  
 pater maturè decessit. ipse adolescentulus pro-  
 pter affinitatem P. Sulpicij, qui tribunus pl. in-  
 terfectus est, non expers fuit illius periculi.  
 namq; Anicia, Pomponij consobrina, nupse-  
 rat

rat Servio fratri Sulpicij. itaq; interfecto Sulpicio, postea quàm vidit Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, cum alij Sullanis, alij Cinnanis faverent partibus, idoneum tempus ratus studijs obsequendi suis, Athenas se contulit: neq; eo secius adolescentem Marium, hostem iudicatum, iuvavit opibus suis: cuius fugam pecunia sublevavit. ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. hic ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus. nam præter gratiam, que iam in adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam publicam levavit. cum enim versuram facere publice necesse esset; neq; eius conditionem equam haberent; semper se interposuit, atq; ita, ut neque usuram unquam ab ijs acceperit, neque longius, quàm dictum esset, debere passus sit. quod utrumque erat ijs salutare. nam neque indulgendo inveterascere eorum as alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. auxit hoc officium alia quoque liberalitate: nam universos frumento donavit, ita ut singu

lis VI. modij tritici darentur, qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur. hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, civemq; facere studerent. quo beneficio ille uti noluit. quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia adscita. Quam diu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. itaq; aliquot spsi, & Phidia locis sanctissimis posuerunt. hunc enim in omni procuratione reip. actorem, auctoremq; habebant. Igitur primum illud munus fortunae, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperij, ut eandem & patriam haberet, & domum: hoc specimen prudentiae, quod cum in eam se civitatem contulisset, quae antiquitate, humanitate, doctrinaq; praestaret omnes, ei unus ante alios fuerit carissimus. Huc ex Asia Sulla decedens cum venisset; quam diu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis & humanitate & doctrina. sic enim Graecè loquebatur, ut Athenis natus videretur. tanta autem erat suavitas sermonis Latini, ut appareret in eo nativum quendam leporem esse.



esse, non adscitum. idem poemata pronuncia-  
bat & Græcè & Latinè sic, ut supra nihil pos-  
set: quibus rebus factū est ut Sulla numquam  
à se dimitteret, cuperetq; secum deducere. qui  
cum persuadere tentaret, Noli oro te, inquit  
Pomponius, adversum eos me velle ducere, cū  
quibus ne contra te arma ferrem, Italiam re-  
liqui. at Sulla, adolescentis officio collaudato,  
omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, pro-  
ficiscens iussit deferri. Hic complures annos mo-  
ratus, cū & rei familiari tantum operæ da-  
ret, quantum non indiligens deberet paterfa-  
miliæ; & omnia reliqua tempora aut litteris,  
aut Atheniensium reip. tribueret; nihilo mi-  
nus amicis urbana officia præstitit, nam & ad  
comitia eorum ventitavit: & si qua res maior  
acta est, nō defuit: sicut Ciceroni omnibus eius  
periculis singularem fidem præbuit: cui ex pa-  
tria fugienti HS CC & quinquaginta millia  
donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis,  
remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta, & L.  
Torquato Cos. quem diem sic universa civitas  
Atheniensium profecuta est, ut lacrymis desi-  
derij futuri dolorē indicaret. Habebat avun-  
culum Q. Cecilium, equitem Romanum, fami-  
liarem L. Luculli divitem, difficillima natu-

ra: cuius sic asperitatem veritus est, ut, quem  
 nemo ferre posset, huius sine offensione ad sum-  
 mam senectutē retinuerit benevolentiam, quo  
 factō, tulit pietatis fructum: Cecilius enim mo-  
 riens testamento adoptavit eum, heredemq;  
 fecit ex dodrante. ex qua hereditate accepit  
 circiter centies HS. Erat nupta soror Attici  
 Q. Tullio Ciceroni: easq; nuptias M. Cicero con-  
 ciliarat, cum quo à condiscipulatu vivebat  
 coniunctissimè, multo etiā familiaris, quàm  
 cum Quinto: ut iudicari possit, plus in ami-  
 citia valere similitudinem morum, quàm af-  
 finitatem. utebatur autem intimè Q. Horten-  
 sio, qui ijs temporibus principatum eloquen-  
 tia tenebat, ut intelligi non posset, uter eum  
 plus diligeret, Cicero, an Hortensius: & id,  
 quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter  
 quos tanta laudis esset æmulatio, nulla inter-  
 cederet obtrectatio, essetq; talium virorum co-  
 pula. In rep. ita est versatus, ut semper optima-  
 rum partium & esset, & existimaretur, neque  
 tamē se civilibus fluctibus committeret; quòd  
 non magis eos in sua potestate existimabas esse,  
 qui se ijs dedissent, quàm qui maritimis iacta-  
 rentur. honores non petijt, cū ei paterēt pro-  
 pter vel gratiam, vel dignitatē; quòd neq; peti-  
 more

more maiorum, neq; capi possent cōservatis legibus, in tā effusis ambitus largitionibus, neq; geri sine periculo, corruptis civitatis moribus. ad hastam publicam numquā accessit. nullius rei neq; pras, neq; manceps factus est. neminem suo nomine, neq; subscribens accusavit. in ius de sua re namquam iit. iudicium nullum habuit. multorum consulum, pratorumq; præfeturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum, qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cū apud eum legati locū obtinere posset. non enim decere se arbitrabatur, cū præturam gerere noluisset, asseclam esse prætoris. qua in re nō solum dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, cū suspiciones quoq; vitaret criminum, quo fiebat, ut eius observantia omnibus esset carior, cū eam officio, nō timori, neq; spei tribui viderent. Incidit Casarianum civile bellū. cū haberet annos circiter sexaginta. usus est ætatis vacatione, neq. quoquā se movit ex urbe. qua amicis suis opus fuerant ad Pompeium p̄fiscētibus, omnia ex sua re familiari dedit. ipsum Pompeium coniunctū non offendit. nullū ab eo habebat ornamentū, ut ceteri, qui per

eum aut honores, aut divitias ceperant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum eius offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Casari fuit grata, ut victor eum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis filium Q. Cicero-nem ex Pompeij castris concesserit. sic vetere instituto vitæ effugit nova pericula. Secutum est illud occiso Casare, cum respub. penes Brutos videretur esse, & Cassium, ac tota civitas se ad eum convertisse videretur. sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens aequali familiaris, quam hoc sene, neq; solum eum principem consilij haberet, sed etiam in convictu. Excogitatum est à quibusdam, ut privatum ararium Casaris interfectores ab equitibus Romanis constitueretur. id facile effici posse arbitrati sunt, si & principes illius ordinis pecunias contulissent. itaque appellatus est à C. Flavio, & Bruti familiari, Atticus, ut eius rei princeps esse vellet. at ille, qui officia amicis prestanda sine factione existimaret, semperq; à talibus se consilijs removisset; respondit, Si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum ea paterentur; se neque cum quoquam de  
 ea re

ea re collocaturum, neq; coiturum. sit ille confessionis globus huius unius dissensione disiectus est. Neq; multo post superior esse cepit Antonius, ita, ut Brutus & Cassius provincialium, quibus dicitur causa data erant à consulibus, desperatis rebus, in exsilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abiecto Bruto, Italiaq; cedenti H S C M muneri misit: eidem in Epiro absens C C C iussit dari: neq; eo magis potenti adulatus est Antonio, neq; desperatos reliquit. Secutum est bellum gestum apud Mutinam, in quo si tantum eum prudentem dicam; minus, quam debeam, predicem; cum ille potius divinus fuerit; si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, que nullis casibus augetur, neq; minuitur. Hostis Antonius iudicatus, Italia cesserat. spes restituendi nulla erat. non solum inimici, qui tamen erant potentissimi, & plurimi, sed etiam qui adversarijs eius se dabant, & in eo ladendo aliquam consecuturos sperabant commoditatem, Antonij familiares sequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam extinguere parabant. Atticus, cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus es-

set Bruto, non modo nihil ijs indulset ad Antonium violandum, sed è contrario familiares eius, ex urbe profugientes, quantum potuit, texit, quibus rebus indiguerunt, adiuvit: P. verò Volumnio ea tribuit, ut plura à parente proficisci non potuerint, ipsi autem Fulvia, cum libertibus distineretur, magnisq; terroribus vexaretur, tanta diligētia officium suum prestitit, ut nullum illa presterit vadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit. quin etiā, cum illa fundum secunda fortuna emisset in diem, neq; post calamitatem versuram facere potuisset; ille se interposuit, pecuniamq; sine fenore, sineq; vlla stipulatione credidit; maximū existimans quæstum, memorem, gratumq; cognosci, simulq; aperire, se nō fortunæ, sed hominibus solere esse amicum. quæ cum faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare. nemini enim in opinionē veniebat, Antonium rerum potiturum. sed sensus eius à nonnullis optimatibus reprehendebatur, quòd parum odisse malos cives videretur. ille autē suū iudicij potius, quid se facere par esset, intuebatur, quàm quid alij laudaturi forent. conversa fortuna est, ut Antonius redijt in Italiā, nemo non magno in periculo Atticū putarat, propter  
intimam

intimam familiaritatem Ciceronis, & Bruti. itaq; ad adventū imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionē: latebatq; apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paullo antè, operam tulerat. tanta varietas his tēporibus fuit fortune, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio aut periculo. habebat secū Gellium Canium, equalem, simillimumq; sui. hoc quoq; sit Attici bonitatis exemplū, quod cum eo, quem pueram in ludo cognorat, adeo cōiunctè vixit, ut ad extremam aetatem amicitia eorum creverit: Antonius autem, et si tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus suis amicis esset inimicus, eosq; velle proscribere, multis hortantibus: tamen Attici memor fuit officij, & ei, cū requisisset, ubi nam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimq; ad se veniret: se eum & Gellium Canium de proscriptorum numero exemisse, ac, ne quod periculum incideret, quod noctu fiebat, presidium ei misit. sic Atticus in summo timore nō solum sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, presidio fuit. neq; enim sua solum à quoquam auxilium petijt salutis, sed coniunctim, ut apparet nullam seiunctam sibi ab eo velle fortunā. quod si gubernator præcipua laude fertur,

qui navem ex hieme, mariq; scopuloso servat:  
 cur non singularis eius existimeur prudentia,  
 qui ex tot, tamq; gravibus procellis civilibus  
 ad incolumitatem pervenit? quibus ex malis  
 ut se emerferat, nihil aliud egit, quam ut plu-  
 rimis, quibus rebus posset, esset auxilio, cū pro-  
 scriptos premijs imperatorum vulgus conqui-  
 reret, nemo in Epirum venit, cui res ulla desue-  
 rit: nemini non ibi perpetuo manendi potestas  
 facta est: qui etiam, post praelium Philippense,  
 interitumq; C. Cassij, & M. Bruti, L. Iulium  
 Mocillam praetorium, & filium eius, Aulumq;  
 Torquatum, ceterosq; pari fortuna percussos  
 institerit tueri, atq; ex Epiro ijs omnia Samo-  
 thraciam supportari iusserit. difficile enim est  
 omnia persequi, & non necessaria. illud unum  
 intelligi volumus, illius liberalitatē neq; tem-  
 porariam, neq; callidam fuisse. id ex ipsis rebus,  
 ac temporibus indicari potest, quod non florē-  
 ribus se venditavit, sed afflictis semper suc-  
 currit, qui quidem Serviliam Bruti matrem  
 non minus post mortem eius, quam florentem,  
 coluerit. sic liberalitate utens, nullas inimici-  
 tias gessit, quod neq; laedebat quemquam; neq;  
 si quam iniuriam acceperat, non malebat ob-  
 livisci, quam vlcisci. Idem in mortali memo-  
 ria



ria percepta retinebat beneficia: qua autē ipse  
 tribuerat, tam diu meminerat, quoad ille gra-  
 tus erat, qui acceperat, itaq; hic fecit, ut verē  
 dictum videatur: Sui cuiq; mores fingunt for-  
 tunam. neq; tamen prius ille fortunam, quam  
 se ipse, finxit, qui cavet, ne qua in re plectere-  
 tur. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius  
 Agrippa, intima familiaritate cōiunctus ado-  
 lescenti Cesari, cū propter suam gratiam, &  
 Caesaris potentiam nullius conditionis non ha-  
 beret potestatem, potissimum eius deligeret af-  
 finitatem, praoptaretq; equitis Romani filiam  
 generosarum nuptijs. atq; harum nuptiarum  
 conciliator fuit (non enim est celandum) M.  
 Antonius, triumvir reip. cuius gratia cū au-  
 gere possessiones posset suas, tantū absuit à cu-  
 piditate pecuniae, ut nulla in re usus sit ea, nisi  
 in deprecandis amicorū aut periculis, aut in-  
 commodis. quod quidem sub ipsa proscriptione  
 perillustre fuit. nam cum L. Saufeij, equitis Ro-  
 mani, equalis fui, qui cū eo complures annos,  
 studio ductus philosophia, habitabat, habe-  
 batq; in Italia pretiosas possessiones, triumviri  
 bona vendidissent consuetudine ea, qua tum  
 res gerebantur, Attici labore, atque industria  
 factum est, ut eodē nuncio Saufeius fieret cer-

zior, se patrimonium amisisse, & recuperasse.  
 idem L. Iulium Calidum, quem post Lucretij,  
 Catulliq; mortem multa elegantissimum poe-  
 tam nostram tulisse etatem, verè videor posse  
 contendere, neq; minus virū bonum, optimisq;  
 artibus eruditum, post proscriptionem equitū;  
 propter magnas eius Africanas possessiones, in  
 proscriptorum numerum à P. Volumnio, pre-  
 fecto fabrum Antonij, absentiem relatum, ex-  
 pedivi. quod in presenti utrum ei laboriosius,  
 an gloriosius fuerit, difficile fuit iudicare;  
 quod in eorū periculis nō secus absentes, quàm  
 presentes amicos Attico esse cura, cognitū est.  
 Neq; verò minus ille vir, bonus paterfamilias  
 habitus est quàm civis. nam cū esset pecunio-  
 sus, nemo illo minus fuit emax, minus adifica-  
 tor: neq; tamen non in primis benè habitavit,  
 omnibusq; optimis rebus usus est, nam domum  
 habuit in colle Quirinali Cacilianam, ab au-  
 vnculo hereditate relictam, cuius amœnitas  
 non edificio, sed filia constabat. ipsum enim  
 rectum, antiquitus constitutum, plus salis,  
 quàm sumptus, habebat; in quo nihil commu-  
 ravit, nisi si quid verustate coactus est. Usus  
 est familia, si utilitate iudicandum est, opti-  
 ma, si forma, vix mediocri. namque in ea e-  
 rant

rant pueri literatissimi, anagnosta optimi, &  
 plurimi librarij, ut ne pedisequus quidē quis-  
 quam esset, qui non utrumque horum pulchrè  
 facere posset. pari modo artifices ceteri, quos  
 cultus domesticus desiderat, apprime boni:  
 neque tamen horum quemquam, nisi domi-  
 natum, domiq; factum, habuit: quod est si-  
 gnum non solum continentia, sed etiam dili-  
 gentia. nam & non intemperanter concupisce-  
 re, quod à pluribus videas, continentis debet  
 duci; & potius à diligentia, quàm pretio, para-  
 re, non mediocris est industria. Elegans, non  
 magnificus, splendidus, non sumptuosus, omni  
 diligentia munditiā nō affluentem affecta-  
 bat. supellex modica, non multa, ut in neu-  
 tram partem conspici posset. Nec præteribo,  
 quamquam non nullis leve visum iri putem.  
 Cùm in primis laurus esset eques Romanus, &  
 non parum liberaliter in domum suam omniū  
 ordinum homines invitaret; scimus, non am-  
 plius, quàm terna millia aris per æq; in singulas  
 menses ex ephemeride eum expensam sum-  
 ptui ferre solitum, atque hoc non auditum,  
 sed cognitum prædicamus. saepe enim, propter  
 familiaritatem, domesticis rebus interfui-  
 mus. nemo in convivio eius aliud & ῥόαα αἰ-

divit, quàm anagnosten: quod nos quidem incunctissimum arbitramur, neq; umquam sine aliqua lectione apud eum cenatum est; ut non minus animo, quàm ventre, convivia delectarentur. namq; eos vocabat, quorū mores à suis non abhorrerent. Cū tanta pecunia facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit. nihil de vita consuetudine; tantaq; usus est moderatione, ut neq; in HS vicies, quod à patre acceperat, parum se splendide gesserit, neq; in HS centies affluentius vixerit, quàm instituerat, pariq; fastigio steterit in utraq; fortuna, nullos habuerit hortos, nullam suburbanam, aut maritimā sumptuosam villam neq; in Italia, præter Ardeatinum, & Nomentanū, rusticum prædium. omnisq; eius pecunia redditus constabat in Epiroticis, & urbanis possessionibus, ex quo cognosci potest, eum usum pecunie non magnitudine, sed ratione metiri solitum. Mendacium neq; dicebat, neq; pati poterat. itaq; eius comitas non sine severitate erat, neq; gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarēt. Quidquid rogabatur, religiosè promittebat; quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri quod prestare non posset.

Idem

Idem in nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, ut nō mandatam, sed suam rem videretur agere. nusquam suscepti negotij eum pertesum est: suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Marij, Q. Hortensij, A. Torquati, multorum prater ea equitum Romanorum negotia procuraret. ex quo iudicari poterat, non inertia, sed iudicio fugisse reip. procuracionem. Humanitatis verò nullum asferre maius testimoniū possum, quàm quòd adolescens idem seni Sulla fuerit iucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cū equalibus autem suis Q. Hortensio, & M. Cicerone sic vixerit, ut iudicare difficile sit, cui etati fuerit aptissimus. quamquā eum præcipuè dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quinctus carior fuerit, aut familiarior. ei rei sunt iudicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum ab consulatu eius usq. ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat, nō multum desideret historiam contextam eorum temporum. sic enim omnia de studijs principum, vitijs ducum, emulationibus reip. perscripta sunt, ut nihil in his non ap-

pareat; & facile existimari possit, prudentiam quodam modo esse divinationem. non enim Cicerone ea solum, quae viuo se acciderunt, futura praedixit, sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit, ut vates. De pietate autem Attici quid plura commemorem? cum hoc ipsum verè gloriantem audierim in funere matris suae, quam extulit annorum nonaginta, cum esset septem, & sexaginta, se numquam cum matre in gratiam rediisse, numquam cum sorore fuisse in similitate, quam propè aetate equalem habebat, quod est signum, aut nullam umquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgètia, ut, quos amare deberet, irasci eis, nefas duceret. neq; id fecit natura solum, (quamquam omnes ei paremus) sed etiam doctrina. nam & principum philosophorum ita percepta habuerat praecepta, ut his ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur. moris etiam maiorum summus imitator fuit antiquitatisq; amator: quam adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. nulla enim lex, neq; pax neq; bellum, neq; res illustris est populo R. quae non in eo suo tempore sit notata, & quod difficillimum fuit, sic familiarum originem

nem

nem subtexit, ut ex eo clarorum virorum propages possimus cognoscere. fecit hoc idē separatim in alijs libris, ut M. Bruti rogatu, Iuniā familiam à stirpe ad hanc etatē ordine enumeraverit, notans, qui à quoq; ortus, quos honores, quibusq; tēporibus cepisset pari modo Marcelli Claudij, de Marcellorum; Scipionis Cornelij, & Fabij Maximi, de Fabiorum, & Aemiliorum: quibus libris nihil potest esse dulcius ijs, qui aliquam cupiditatē habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoq; poeticen; credimus, ne eius expers esset suavitatis. namq; versibus, qui honore, rerum gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt, exposuit, ita ut sub singulorum imaginibus facta, magistratusq; eorum non amplius quaternis, qui visq; versibus descripserit: quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiā unus liber græcè confectus de consulatu Ciceronis. Hactenus, Attico viuo, edita à nobis sunt. nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur, & quantum potuerimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significavimus, suos cuique mores primumq; conciliare fortunam. namq; hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affini-

tatem pervenit imperatoris, divi Iulij filij, cui iam ante familiaritatem eius esset consecutus nulla alia re, quam elegantia vite, qua ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliores. tanta enim prosperitas Cesarem est cōsecuta, ut nihil ei non tribueret fortuna, quod cuiquam antè detulerit, & conciliarit, quod civis Romanus quivit consequi. Nata autem est Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiã collocavit. hanc Caesar vix anniculam Tib. Claudio Neroni, Drusilla nato, privigno suo, despondit. quæ coniunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiore. quamvis ante hæc sponsalia, non solum cum ab urbe abesset, numquã ad suorum quemquam literas misit, quin Attico mitteret, quid ageret in primis, quid legeret, quibusq; in locis, & quam diu esset moraturus: sed & cum esset in urbe, & propter suas infinitas occupationes minus saepe, quam vellet, Attico frueretur, nullus die: & emere intercessit, quo non ad eum scriberet, quo aliquid de antiquitate ab eo requireret; modo aliquã questionem poeticam ei proponeret; interdum iocans eius verbosiores eliceret epistolas, ex quo accidit, cum ades Iovis Feretriij in Capitolio,  
 ab Ro-



ab Romulo constituta, vetustate, atq; incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Caesar eam reficienda curaret. Neg; verò à M. Antonio minus absens litteris colebatur, adeò ut accurate ille ex ultimis terris, quid ageret, quid cura sibi haberet, certio rem faceret Atticum. hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quanta sit sapientia, eorum retinere usum, benevolentiamq;. inter quos maximarum rerum non solum emulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit intercedere necesse inter Casarem, atq; Antonium; cum se uterq; principem non solum urbis Roma, sed orbis terrarum esse cuperet. Talè modo cum septem, & septuaginta annos compleisset, atq; ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia, fortunaq; crevisset; (multas enim hereditates nulla alia re, quam bonitate, consecutus) tantaq; prosperitate usus esset valerudinis, ut annis xxx medicina non indignisset: nactus est morbum, quem initio & ipse & medici contempserunt: nam putarunt esse *τενασπόυ*: cui remedia celeria, fastiliaq; proponebantur. in hoc cum tres menses sine ullis doloribus, præterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset; subito tanta vis

morbi in unum intestinum prorupit, ut extre-  
 mo tempore per lumbos fistula patris eruperit.  
 atq; antea quidem morbi diuinitatem mo-  
 leste ferebat, prius quam hoc ei accideret: post-  
 quam verò in dies dolores accrescere, febresq;  
 accessisse sensit; Agrippam generum ad se accer-  
 siri iussit, & cum eo L. Corneliū Balbum, Sexo-  
 tumq; Peducaum. hos ut venisse vidit, in cubi-  
 tum nixus, Quantam, inquit, curam diligen-  
 tiamq; in valetudine mea tuenda hoc tempo-  
 re adhibuerim, cum vos testes habeam, nihil  
 opus est pluribus verbis commemorare. quibus  
 quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui fe-  
 cisse, quod ad sanandum me pertineret: reli-  
 quum est, ut egomet mihi consulā. id vos igno-  
 rare nolui. nam mihi stat, alere morbum desi-  
 nere. namq; his diebus quidquid cibi sumpsi,  
 ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe  
 salutis. quare à vobis peto, primum ut consi-  
 lium probetis meum, deinde ne frustra dehor-  
 tando conemini. Hac oratione habita, tanta  
 constantia vocis, atq; ruitus, ut non ex vita,  
 sed ex domo in domum videretur migrare;  
 cum quidem Agrippa eum flens, atq; osculans  
 oraret, atq; obsecraret, ne ad id, quod natura  
 cogeret, ipse quoque sibi acceleraret, & quo-  
 niam

niam tum quoq; posset temporibus superesse, se sibi, suisq; reservaret, preces eius taciturna sua obstinatione depressit. sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leviorq; morbus esse capit: tamen propositum nihilo secius peregit. itaq; die quinto postquam id consilium inierat, prid. Kal. Apr. Cn. Domitio, C. Sosio Cos. decessit. elatus est in lecticula, ut ipse prescripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. sepultus est iuxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento Q. Cacily, avunculi sui.

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

3 1 4 1 1








№ 318.


X 227 4536

8

mn







Bi 16

# CORNELII NEPOTIS

## De Viris illustri- bus Liber ;

Additamento ex manusc. auctus.

*Antehac Æmilio Probo ; post Suetonio  
Tranquillo ; diutissimè C. Plinio  
Cecilio Secundo ; nuper Sexto Aurelio  
Victori ; nunc liberali caussa  
Auctori assertus,*

à

### RAPHAELE EGLINO ICONIO, TIGVRINO.

C I D I D C.

### TIGVRI

C 2 R

